AUTHOR:

BESSER, JOHANNES

TITLE:

DE CONIURATIONE CA-
TILINARIA...

PLACE:

NEOSTADII AD ORILAM

DATE:

1880

Master Negative #

91-80101-12

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Besser, Johann, 1856–

De coniuratione Catilinaria ... Neostadii ad Orilam typis B. Peteri, 1880.

vi, 50 p. 22cm.

Inaug.-diss.—Leipzig.
Biographical sketch.

1. Rome—Hist.—Republic—Conspiracy of Catiline, B. C. 65–62.

11–2399

Library of Congress DG259.B5

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 11X

IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB

DATE FILMED: 6-27-91 INITIALS V.W.D.

FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910
301/587-8202

Centimeter

Inches

MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

DE

CONIURATIONE CATILINARIA

DISSERTATIO PHILOLOGICA

QUAM

SUMMORUM IN PHILOSOPHIA HONORUM IN ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE LIPSIENSI RITE ADIPISCENDORUM CAUSA

SCRIPSIT

VITAM SUAM PRAEMISIT

JOANNES BESSER.

NEOSTADII AD ORILAM
TYPIS B. PETERI,
MDCCCLXXX.

FRIDERICO ANTONIO BESSERO, PATRI

ET

HERMANNO KUENTZELIO, AVUNCULO.

Joannes Besser, Friderici Antonii Besseri, scholarum Neostadiensium rectoris, nunc emeriti, et Wilhelminæ e gente Kuentzel filius, Neostadii ad Orilam (quæ urbs sita est in Magniducatu Vimariensi) ante diem V. Kal. Sextiles anni 1856. natus est. Ab anno aetatis sexto usque ad decimum scholam primariam, deinde usque ad annum aetatis decimum quartum scholam secundariam frequentavit, ubi patre optimo duce pueri animus rudimentis linguæ latinæ et graecæ imbutus est. Secundum parentes dilectissimos puer ad disciplinam atque eruditionem Hermanno Kuentzelio avunculo plurimum debet. Puer e schola secundaria anno 1870. egressus gymnasio Schleizensi traditus et in classem tertiam receptus est; ubi magistros habuit Dudenium, tum gymnasii Schleizensis, nunc Hersfeldensis directorem, Gœllium, professorem, Fischerum conrectorem, Schuchardtium philosophiæ doctorem, quorum omnium memoriam grato pioque animo semper recolet. Sex annos in gymnasio Schleizensi commoratus adolescens examine, quod dicunt maturitatis, paullo ante dies Paschales anni 1876. aetatis suæ anno vicesimo feliciter perfunctus est. Quo facto in Universitatem Litterarum Lipsiensem, A. M., ut ad studium philologiæ classicæ et historiæ incumberet, se contulit. Interfuit ibi scholis V. D. Langii, hoc tempore Rectoris Magnifici, Curtii, Lipsii, Ribbeckii, Professorum philologiæ classicæ, deinde V. D. Noordenii

et Voigtii ,historiæ Professorum, praeterea Zarnckii, Heinzii, Wundtii, Eeksteinii, Professorum scholas frequentavit. Neque hoc silentio est praetermittendum, quod societatis antiquariæ graecæ, quam Lipsius, ac societatis antiquariæ latinæ, quam Langius optime ac pulcherrime regit, et seminarii regii historici, quod sub Noordenii auspiciis valde floret, sodalis fuit. Quibus V. D. in perpetuum gratiam habebit, imprimis Noordenio, magistro dilectissimo ac reverendissimo, Langio, Voigtio, Lipsio, viris amplissimis ac spectatissimis.

Neostadii ad Orilam, mense Sextili anni 1880.

Cum multi praeclari viri iam saepe ac bene de Catilinæ coniuratione egerint, tamen operæ pretium sit, eandem materiam denuo perscrutari et diligenter examinare.

Primum enim negandum non erit, comprehensionem omnium eorum, quæ usque adhuc ope artis criticæ ad fontes coniurationis Catilinariæ adhibitæ ad liquidum perducta et explorata sunt, esse necessariam. Quacum comprehensione examinatio omnium fontium, qui de coniuratione Catilinaria agunt, iterata atque accurata est coniungenda.

Deinde controversiæ et differentiæ vel maxime in hac materia sunt tantæ, ut consentaneum mihi videatur esse, de his differentiis videre, num ex rebus dubiis argumentis fortioribus prolatis res verisimiliores evadere possint, cum modo hanc modo illam opinionem virorum doctorum, qui ad haec studia incubuerunt, argumentis afferendis verisimiliorem reddamus, vel omnino, ubi res postulat, coniecturam novam faciamus.

Itaque nobis propositum est, omnes fontes, in quibus agitur de Catilinæ contra rem publicam incepto — uno Cicerone excepto, utpote qui praecipuus fons hac in re et testis verissimus sit, sed in paucis, ut infra videbimus, per scriptores posteriores, qui ex eo plus minusve pendent, vel suppleatur vel corrigatur — singulos ad fidem atque auctoritatem denuo recensere et in fine recensionis iudicium facere, quos fontes ut primarios nos sequi debeamus.

A. Sallustius.

Summi momenti est in Sallustii auctoritate ac fide diiudicanda quaestio, quas partes in re publica scriptor secutus sit, utrum partes optimatium an popularium; nam hac quaestione continetur iudicium de fide atque auctoritate scriptoris faciendum.

Sed antequam rem accuratius pertractemus, opiniones virorum clarissimorum de hac quæstione sunt audiendæ.

Mommsenius igitur censet, (Röm. Gesch. III. Bd. p. 183. 5. Aufl.) hunc Sallustii librum de Catilinæ coniuratione scriptum apologeticum esse pro C. Julio Cæsare. Johnius (in libris, qui sunt „Jahrbücher der class. Phil." Suppl.-Bd. VIII. 1876. p. 810 „Entstehungsgeschichte d. Catilin. Verschwörung") putat, Sallustium quidem secundum propositum suum consulto falsa non narrasse neque tamen studio Cæsaris esse liberum. Idem sensit Teuffel (Röm. Liter. § 193. 1. Aufl. 1870.) Hagenus sententiam expressit, (in libro, qui inscribitur „Untersuchungen über röm. Gesch." I. Theil „Catilina" p. 10 ff. 1854.) Catilinæ coniurationem esse scriptam a Sallustio contra M. Bruti librum de laudibus Catonis.

Hunc librum non ante annum 43. esse scriptum, apparet iam ex scriptoris verbis (c. 4,$_1$; c. 53, ubi scriptor de Cæsare et Catone ut de mortuis dicit — confer Teuffel., Röm. Lit. § 193,$_2$.) Equidem Sallustium aliqua re ad librum post Cæsaris mortem edendum esse commotum arbitror. Verisimile est, huius editionis auctorem fuisse editionem Ciceronis libri secreti, quem post Cæsaris mortem esse evulgatum Plut. Crass. c. 13 et Asconius ad Ciceron. orat. in tog. cand. (ed. Kiessling et Schœll p. 74) referunt, quo libro Cicero Cæsarem et Crassum accusavit, quod coniurationis participes fuissent. (confer. John. p. 725.) Huic neque tempus, in quod Sallustiani libri editio incidit (confer Teuffel., R. L. § 193,$_2$.), obstat neque titulus, qui inscribitur „de Catilinæ coniuratione". (vid. Sall. c. 4,$_3$.)

Id enim concedendum est, scriptorem melius atque efficacius hac ratione Cæsarem defendere potuisse quam si librum apologeticum ipsum pro Cæsare scripsisset. (aliter iudicat Johnius p. 810.) Puto igitur, virum sagacissimum, Mommsenium, recte sensisse et Sallustii Catilinam esse scriptum apologeticum pro Caesare argumentis certis confirmare conabor.

Itaque videamus primum, num ex scriptore ipso intelligi possit, quas partes rei publicæ secutus sit; si minus, num ex accuratiore libri lectione et ex locis scriptoris inter se comparatis appareat, scriptorem a se ipso dissidere.

Quamvis Sallustius c. 3, $_{4. 5}$. dicat, sese alienum fuisse a temporis sui malis moribus, tamen certo scimus (confer Dionem Cassium l. 43, c. 9 et ad id Teuffel., R. L. § 193, $_1$.), illum proconsulem in Africa provincia se valde locupletasse. Non magis

fide digna sunt, quæ c. 4, $_2$. locutus est, animum suum rei publicæ partibus liberum fuisse, cum auctores certissimi nobis tradiderint, illum anno 52. tribunum plebis a P. Clodii partibus stetisse et postea sub Caesare magistratibus functum esse et provinciæ praefectum fuisse. (Ascon. Mil. p. 33,$_1$; 44,$_7$; 45,$_{14}$ ed. Kiessling et Schœll; Dio Cass. 43,$_9$: confer locos apud Teuffel. § 193,$_1$.) Sallustius non aperte quidem dixit, se causam popularem esse amplexum, tamen loci nonnulli apud eum inveniuntur, quibus comprobetur, illum partium popularium fuisse (confer c. 10,$_6$: 39$_{1-3}$; 20,$_7$.).

Reliquum est autem, ut doceamus secundum propositum nostrum, quo modo scriptor Caesarem contra criminationem, quod ille Catilinæ socius fuisset, defenderit. Cap. 19., ubi Sallustius de coniuratione loquitur, Crassus quidem ita cum nomine Cn. Pisonis reliquorumque coniurationis prioris sociorum coniungitur, ut suspicio haud procul absit, quin Crassus coniurationis illius auctor fuerit, praesertim cum cap. 17. extr. idem inter Catilinæ coniuratos ab aequalibus quibusdam commemoretur et cum secundum ipsum scriptorem neque Catilina coniurationis caput videatur esse (confer verba c. 18,$_1$: „sed antea item coniuravere pauci contra rem publicam, in quibus Catilina fuit") et coniuratio prior propter studia ad principatum rei publicæ et contra Pompeium conversa prorsus a coniuratione Catilinaria differat. Quaerendum est igitur nobis, unde fiat, ut Caesar, quem una cum Crasso coniurationis prioris ducem fuisse constat (confer Sueton. div. Jul. c. 9, et Ascon. ad Ciceronis orat. in tog. cand., ed. Kiessling et Schœll p. 74,$_{21-24}$; 82,$_{24-30}$; 83,$_{1-2}$; 83,$_{20-26}$.), a Sallustio non nominetur. Itaque recte putandum est, a scriptore nostro consulto Caesaris nomen hic silentio esse praetermissum, praesertim cum meminerimus, Sallustium postea Caesaris causam suscepisse. Cum scriptor porro c. 48. Crassum haud ambiguis verbis in coniurationis Catilinariæ societatem vocarit, Caesarem c. 49. in C. Pisonis et Q. Catuli, qui Caesarem inter Catilinæ coniuratos esse referendum putabant, crimina studiosissime atque splendidissime tuetur ita, ut facere non possimus, quin dicamus, Sallustii animum rei publicæ partibus non liberum fuisse (conf. John. p. 810.)

Quoniam ex Cicerone, ut postea erit demonstrandum, (in Pison. c 2. $_{4. 5}$.; pro Mur. § 49—52) et ex aliis fontibus (Dione Cass. l. 37. c. 29; Epit. Liv. l. 102., Vell. Paterc. II, 34, Flor. IV, 1; Eutrop. IV, 15.) scimus, coniurationem Catilinariam non exortam esse ante

annum 63. et cum ex Sallustii locis c. $20_{,1}$; $20_{,14-17}$; $21_{,5}$ eluceat, coniuratorum concilium in Catilinæ domo nihil aliud fuisse nisi cohortationem et eam quidem, ut coniuratis Catilinæ petitio consulatus curæ esset, a veritate non nimis aberrare mihi videor contendens, Sallustium concilium coniuratorum consulto cum concilio petitionis consulatus causa habito commiscuisse, quod dicturus non erat, Caesarem et Crassum Catilinæ petitionem anno 64. omnibus viribus adiuvisse. Si enim scriptor narrasset, Caesari Catilinæ petitionem curæ fuisse, facile in animos eorum, qui librum de coniuratione legebant, suspicio incideret, Caesarem quoque in coniuratorum numerum esse referendum — id quod scriptor omni modo vitare voluit. Neque tamen negari potest, aliquid veri scriptorem narrationi admiscuisse, ne Caesaris ab adversariorum criminibus defendendi consilium perspiceretur. Haec est commemoratio nobilium eorum (c. $17_{,5}$.), qui „paullo occultius coniurationis participes“ fuere, in quibus Crassus secundum Sallustium — non enim ille crimina Crasso facta refutat — est nominandus. Haec verba continent „veritatem et poesin“, quatenus id, quod de Catilinæ sociis occultioribus dictum est, tantum ad fautores petitionis Catilinæ vere spectat ideo, quod illo tempore coniuratio Catilinæ non erat. Porro dubitandum non erit, quin Sallustius habeat, cur coniurationem iam anno 64. esse factam narret. Eo enim, quod Catilina iam anno 64. coniurationis caput factus est, scriptorem id egisse verisimile est, ut Caesar Crassusque, qui tantum opera Catilinæ, si consul factus esset, uti volebant ad consilia sua ipsorum perficienda, non iam auctores contra rem publicam incepti anno 64. esse viderentur, sed ut Catilina iam tum coniurationis caput haberetur, itaque Caesaris machinationes contra rem publicam in petitione consulatus Catilinæ factæ in oblivionem venirent. Aliud testimonium rationis, qua scriptor multa, quae digna sunt, quae commemorentur, reticeat, narrationis exilitas est in cap. 24—26. Nihil enim de machinationibus popularibus in senatus maiestatem, quae sub Caesaris auspiciis erant (vid. Dio. Cass. 37, 26. 27.; Cic. de leg. agr. II, § 44. 50. 54.), refert, quamquam certamina inter optimates et populares ab extremo anno 64. per complures menses anni 63. valde florebant. Nobis igitur ideo, quod scriptor iam saepius (ut supra vidimus), ubicunque Caesaris nomen erat nominandum, Caesaris machinationes neglexit, nihil aliud relinquitur nisi ut censeamus, illum hic ob eandem causam has res, quae magni momenti erant, omisisse. Quantopere autem ipse senserit, narrationem suam de

coniurationis origine claudicare, huius rei testimonia sunt tres partes, in quas coniurationem distribuit, quasi inter se differentes (confer Dübi., p. 22. 27. de Catilinae Sallustiani fontibus ac fide, Bernae 1872.).

Huc pertinent errores compositionis, qui apud scriptorem inveniuntur illis locis, quibus insciens idem dicere videtur. Cum dicat (c. $17_{,1}$), Catilinam circiter Kal. Junias anni 64. iam homines convenisse eosque praemiis coniurationis sibi adscivisse et c. $20_{,14}$. iterum de coniurationis praemiis loquatur, tamen coniuratos c. $21_{,1}$ postulantes, ut Catilina proponat, quae haec praemia sint, facit. (J. Wirzius primus p. 42. libri sui, qui inscribitur, „Catilinas und Ciceros Bewerbung um den Consulat für das Jahr 63. Zürich 1864.“ id recte cognovit.) Quod autem commemorat, Cn. Pisonem in Hispania citeriore et P. Sittium Nucerinum in Mauretania Catilinæ socios fuisse eo tempore, quo scriptor Catilinam verba apud socios facienten fingit (c. $21_{,3}$), plane falsum est, quoniam constat, Pisonem tum iam fuisse mortuum, Sittium autem nondum in Mauretania esse commoratum (confer Wirz. p. 47. 49. et Hagenum, p. 146.).

Haud scio an postremo ad Mommsenii sententiam confirmandam hoc sit afferendum. Vix enim intelligi potest, quomodo futurum fuerit, ut Catilina anno 64. consul non crearetur, si iam tum tantam sociorum multitudinem secum habuisset, quantam illum secum habuisse Sallustius c. 16. 17. narrat, praesertim cum Caesar atque Crassus et populares eum in petitione consulatus omnibus modis viribusque adiuverint (confer Ascon. ad. Cicer. orat. in tog. cand. ed. Kiessl. et Schœll p. $74_{,13-21}$, item Appianum in bell. civ. l. II, c. 2.). Ex iis, quæ adhuc dixi, mihi videor docuisse, quam recte Mommsenius censuerit, Sallustii librum de Catilinæ coniuratione librum pro C. Julio Caesare apologeticum esse scriptum. Atque ne hoc quidem, quod Sallustius c. 53. 54. Catonis virtutes non minus quam Caesaris praedicavit et c. $54_{,4}$ liberius de Caesaris studiis locutus est, impedit, quominus hanc sententiam teneamus. Quin etiam facilius fieri potuit, ut scriptor laudatione Catonis sententiam suam veram dissimularet, quam si solum Caesarem laudibus affecisset; praesertim cum ei liceret, liberius de Caesare tum mortuo dicere neque tamen consilium Caesaris ab adversariorum criminibus defendendi oblivisci. Itaque puto neminem mihi locos Sallustianos c. $37_{,1\cdot 10}$. c. 38. c. 39., ubi scriptor non minus popularium quam optimatium perniciosa studia vituperat et c. $52_{,16}$., ubi Catonem verbis suis Caesarem in suspicionem coniurationis vocantem facit,

esse oppositurum, quod, si scriptor hic quacunque ratione a vero deflexisset, futurum fuit, ut ille consilio suo maxime noceret.

Jam reliquum est, ut, quod supra nobis proposuimus, accuratius examinemus, quantum fidei et auctoritatis Sallustio insit, sed ita, ut tantum ea afferamus, quæ a sententiis plerumque receptis abhorreant. Viri docti, qui nuper de Sallustii fide atque auctoritate scripserunt, valde inter se dissentiunt. Dübi enim (diss. p. 5. 9. 10. ff.) censet, Sallustium multa ex Ciceronis orationibus hausisse, alia ex aequalium memoria, nonnulla ex senatus actis consultisque. Johnius autem putat (p. 787. 788.), Sallustium Ciceronis orationibus parum diligenter usum esse, si quidem omnino illis usus sit. Postremo Schliephackius (in scripto, quod inscribitur „über die griechischen Quellen zur Catilinarischen Verschwörung, Realschulprogramm von Goslar 1877 — p. 12.) dicit, Sallustium potissimum e memoria ac traditione hausisse.

Sed transeamus ad singula.

Unde scriptor excursiones historicas, quæ c. 6—13. continentur, sumpserit, nescimus neque tamen negari potest, scriptorem hic non semper fontes suos secutum esse, sed multa (confer narrationem temporum Sullanorum sequentiumque temporum c. 11—13.) ex iis, quæ audierat et memoria tenebat, hausisse. Nam c. 11—13. docuit, se Sullæ dominationem non probare (confer id, quod de Sallustii ratione politica p. 2—5 diximus.). Nec quisquam dubitet, quin ille putarit, iis vitiis, quæ ad rem publicam labefactandam multum valebant, avaritiam ac luxuriam dico, maxime optimates floruisse (vid. c. $11_{,4}$; $12_{,1\cdot2\cdot5}$.) Recte Dübi (diss. p. 9. 10.) mihi videtur sentire, Sallustium in iis, quæ ad mores et vitam Catilinæ Catilinariorumque spectant (conf. c. 5. 14. 15.), Ciceronis orationibus usum esse. Attamen dubitandum erit, num Cicero solus auctor hic fuerit. Nam cum Cicero non dilucide de Catilinæ consiliis loquatur, inde sequitur, ut verba scriptoris, quæ ad hanc rem pertinent, (confer c. $5_{,4\cdot5\cdot6}$.) ex Cicerone sumi non potuerint. Puto me non errare contendentem, Sallustium haec ex sermonibus aequalium sumpsisse. Verba c. $5_{,4}$: „satis eloquentiæ, sapientiæ parum," et verba c. $5_{,7\cdot8}$., quæ ex animi vi et natura omnia consilia factaque repetunt (item res se habet c. $15_{,3-5}$; $18_{,4}$. confer Wirz p. 55.), scriptor de suo sumpsit; nam apud Ciceronem nihil eiusmodi invenias. Quæ scriptor c. 18. et 19. de priore coniuratione refert, ea plane falsa esse, non cum Hageno (p. 91. ff.), quem Dübi sequitur (diss. p. 11.), contenderim. Primum, quominus horum virorum sententiam approbem, me impedit

id, quod scriptor his capitibus chronologiam non neglexit, (id quod postea saepius fit, ut videbimus), sed ter dies certos ac ratos (confer c. 18, $_5$. Nonas Decembres a. 66. et Kal. Januar. a. 65. et c. 18, $_6$. Nonas Februarias a. 65.) attulit. Deinde ea crimina, quibus Sallustii fidem scriptores recentes de coniuratione Catilinaria impugnarunt (conf. Dübi., diss. p. 11—13), nullius momenti mihi videntur esse praeter id, quod scriptor consulto nomina C. Julii Caesaris (confer id, quod p. 2—5 diximus.) et P. Sullæ praetermisit (Johnium p. 708—11 videas.) Cum scriptoris verba valde offenderint (conf. Dübi., diss. p. 12. 13) c. 18, $_3$. — Catilina, pecuniarum repetundarum reus — tamen scriptorem hic recte narrare existimo. Dübi quidem docere conatur, Sallustii verba „repetundarum reum" esse falsa, sed cum eo consentire non possum ideo, quod Asconius (ed. Kiessling et Schœll p. 75, $_{21-24}$; 76, $_{1\cdot\ 2}$) narrat, Catilinam absentem ab Afris legatis in senatu repetundarum esse accusatum, et multas graves sententias de eo in senatu esse dictas. Sed cum Catilina se consulatus candidatum professus esset, L. Volcatium Tullum consilium publicum habuisse, utrum Catilinæ ratio haberetur necne, Catilinam autem petitione destitisse, quod repetundarum reus factus esset. (Aliter interpretatur Dübi p. 13 verba Asconii „nam repetundarum quaerebatur".) Cum enim sciamus, Catilinam Cotta et Torquato consulibus a P. Clodio repetundarum esse accusatum (confer Lange, Röm. Altert. III, p. 226. 2. Aufl.), tamen nego, fieri potuisse, ut Catilina Cotta et Torquato demum consulibus reus fieret. Nam intelligere non possum, quo modo fieri non potuerit, ut Catilinæ causa ab anno 66. in annum 65. differretur, praesertim cum Catilina consilio publico habito consulatus petitione desisteret, id quod senatus voluit. Praeterea dubitandum non est, quin futurum fuerit, ut non consilium publicum haberetur, nisi Catilina, de quo absente Afri legati questi sunt, iam repetundarum accusatus esset, deinde ut omnino accusatores causam contra Catilinam ad iudices deferre non tamdiu cunctarentur.

Sed pergamus. Nescio quomodo Johnius (p. 712 Not. 16.) Dietschio assentiens, ad eam sententiam venerit, ut statueret ante verba Sallustiana c. 18, $_6$ „ea re cognita" aliquid excidisse. Non enim est, cur aliquid excidisse statuendum sit. Contendo igitur, verba, quæ supra diximus, nihil aliud significare nisi haec: consilio coniurationis cognito coniurati consilium transtulerunt. Ipse Cicero auctor certissimus huius rei est, qui refert in or. Catil. I, § 15, Catilinam pridie Kal. Januar. Lepido et Tullo consulibus manum

principum civitatis interficiendorum causa parasse, et pro Sulla § 11—13 (confer pro Sulla § 68), Torquato consule designato coniurationem esse factam et apertam; nam Cicero pro Sulla § 11. 12. consilium principum civitatis, quod coniuratione cognita habuerunt, commemorat. Porro cum sciamus, (vid. Cass. Dionem 36, 44.), Torquato et Cottæ praesidia a senatu esse concessa, nobis nihil aliud relinquitur nisi ut sumamus, Sallustium rem recte narrasse.

Verba scriptoris c. 18, 6 „iam tum non consulibus modo, set plerisque senatoribus perniciem machinabantur" historici recentiores scriptori vitio dant, cum dicant (conf. Dübi., dissert. p. 15., John. p. 711 Not. 16), illum discernere inter consilium ad Kal. Jan. et ad Nonas Febr. initum. Quam differentiam esse inter utrumque consilium, nego; omnino contendo, nihil differentiæ esse. Nam si scriptor discrimen inter verba c. 18, 5 — L. Cottam et L. Torquatum consules interficere — et verba quæ supra diximus, facere voluisset, tum non particulis „iam tum", sed „tum demum", quæ discrimen significarent, usus esset. Dubitarim igitur, num particulæ „iam tum" hanc differentiam, quam adesse viri illi putant, significare possint. Equidem existimo, scriptorem verbis „iam tum etc" nihil aliud dicere voluisse nisi consilium coniuratorum iam anno 66, late patuisse, quoniam iam tum non modo consules sed etiam maximam senatus partem coniurati necare in animo habuissent. Scriptor igitur his verbis tantum narrationem, quam c. 18, 5 brevibus verbis affert, uberius atque accuratius profert.

Sed etiamsi, ut supra (p. 3) vidimus, Sallustius consulto Caesaris nomen silentio c. 18. 19. praetermittat et Catilinam per vim fascibus consularibus Kal. Jann. a. 66. potiri studuisse falso commemoret (vid. John. p. 711. 712.) nec P. Sullam illo tempore coniuratum fuisse dicat, tamen concedendum non est, Sallustium de priore coniuratione omnino falsa referre, praesertim cum ei non fuerit, cur in iis rebus, quæ ad Caesarem non spectabant, a veritate aberraret. Itaque non habemus, cur dubitemus, num scriptor vera de coniuratione priore narret, quoniam dies certos adferens tradit, Crassum in suspicionem vocatum ipsamque illam coniurationem in senatus auctoritatem atque in Cn. Pompeium directam esse, et commemorat, quo modo factum sit, ut senatus Cn. Pisonem coniurationis socium in Hispaniam citeriorem, (id quod iam coniurati voluerant) dimitteret, ut provinciæ illi imperaret. Neque magis de veritate eorum quæ ad Nonas Februarias anni 65. coniurati audere constituerant, sed non perfecerant, dubitandum erit. Quamquam haud certo scimus,

quem fontem scriptor c. 18 et 19. secutus sit, tamen verisimillimum esse ducimus, illum ex aequalibus nonnulla de coniuratione priore audisse, quæ in unum composuit. Testes autem huius coniecturæ verba Sallustii c. 19, 4. 5. „sunt, qui ita dicant, imperia eius iniusta superba crudelia barbaros nequivisse pati, alii autem, equites illos etc" videntur esse, e quibus cognosci potest, illos Sallustii quidem aequales fuisse, sed aequales maiores natu, qui iam temporibus coniurationis prioris vixerunt et eo tempore, quo „Catilinam" scriptor edidit, nondum mortui erant. Atque de coniuratione priore haec hactenus; videamus nunc, quid scriptor de coniuratione Catilinaria referat.

De tempore, quo scriptor sumit coniurationem esse ortam, iam satis p. 3. 4. 5. dixisse mihi videor.

Verbis c. 17, 7 „fuere item ea tempestate, qui crederent, M. Licinium Crassum non ignarum eius consilii fuisse" scriptor ad coniurationis aequalium sermones recurrit, id est, Caesaris et Crassi adversariorum sermones. (confer Sueton. d. J. c. 9.) Verba illa Sallustiana (vid. c. 14, 7.) „scio fuisse nonnullos, qui ita existimarent, iuventutem — parum honeste pudicitiam habuisse, set ex aliis rebus magis, quam quod cuiquam id compertum foret, haec fama valebat", dubium mihi non est, quin Ciceronis relationi de iuventutis, quæ Catilinæ favebat, corruptis moribus (confer Cic. in Cat. II, 10. II, 23) opposita sint. His autem verbis Ciceronem a Sallustio peti crediderim, praesertim cum Sallustii consilium narrandi supra cognoverimus. C. 48, 8. 9. scriptor aperte dixit, sese audisse, a Cicerone Crassum in coniurationis suspicionem esse vocatum neque commemoravit, se haec in medio relinquere, id est, se iudicio abstinere (id quod fecit in c. 19, 5. c. 22, 3.) Quid? Nonne Cicero his videtur impugnari?

De concilio in Catilinæ domo iam supra quidem (p. 4.) dixi sed tamen nonnulla mihi videntur esse addenda, quæ ad scriptoris fidem diiudicandam pertinent.

Quamvis enim Dübi (diss. p. 18.) Sallustio narranti, viros, quos c. 17. Catilinæ socios nominat, maxima necessitate laborasse vitio det, tamen id concedere non possum. Ex Cicerone enim scimus (in Cat. II, 19 — nam nobiles Romanos in secundam classem, esse referendos, nemo erit, qui neget — confer ad id Plut. Vitam, Cic. c. 10), nobiles inter coniuratos, qui dominationi studebant, maximam partem aere alieno oppressos esse. Quod ad verba c. 21, 1. — homines, quibus mala abunde omnia erant, sed neque res neque spes bona ulla, — pertinet, haec ad nobiles quidem Romanos accom-

modata non sunt (confer Dübi., diss. p. 18), sed ad alios coniuratos, Sullanos, Marianos, omnino pauperes miserosque (confer Wirz. p. 42), quos concilio in Catilinæ domo interfuisse ipse Sallustius oratione sua (c. 20. 21.) docere videtur (vid. c. 21, $_{5}$. c. 20, $_{2.\,3}$; 20, $_{14.\,15}$.) Illos homines potentia floruisse, (contra Dübi., diss. p. 18.) negarim, quod putare non possum, illos auctoritatem opesque habuisse, quorum nonnulli prioribus annis iudiciis damnati erant. (confer Plut. Cic. c. 17. de Lentulo, Cic. pro Sulla §§ 6. 7. 89. — de Vargunteio, Autronio, P. Sulla., Dio. Cass. c. 36. 44.) Verum porro est, quod Sallustius refert, ante comitia consularia anni 64. Catilinæ iam necessitudinem atque amicitiam cum Antonio fuisse (c. 21, $_{3}$.). Quam amicitiam Catilinæ et Antonii non ad coniurationem, sed ad coitionem spectasse, ex Ciceronis oratione in tog. cand. intelleximus.

c. 22. scriptor rumorem, a coniurationis aequalibus exortum, quem alteri verum esse putant, alteri negant, nobiscum communicat. Cum rumoris fidem in medio relinquit, se de veritate eius dubitare docet. Qua ex re cognosci potest, Sallustium non sine iudicio de coniuratione scripsisse (confer ad id c. 19, $_{4.\,5}$.).

Quamquam S. c. 23. refert, iam ante comitia consularia anni 64. rumores de coniuratione percrebuisse, tamen de hac narratione recte dubitandum est, quod coniuratio Catilinaria illo tempore revera nondum exstitit. (confer John. p. 746 ff. et Wirz. p. 55.).

Quod autem narrat, Fulviam cura de rei publicæ salute commotam complures de coniuratione certiores fecisse, non multum fidei habet. Huc accedit, quod suspicio in illam Sallustii narrationem augetur eo, quod Diodorus Siculus (confer l. XL. apud Muellerum in fragm. hist. graec. II p. XXVI. Fragm. 35) tradit, Fulviam cum Ciceronis uxore, Terentia, communicasse rem coniurationis extremo anno 63. (de tempore, quo Fulvia rem dicitur communicasse, Diodorus sine dubio erravit — confer Cic. pro Sulla § 14; in Cat. I, § 8. 10. Plut. Cic. c. 16.) Rumores de coniuratione Catilinaria per urbem Romam dissipatos Ciceronem imprimis ad consulatus dignitatem promovisse nego, sed in eo cum Sallustio consentio, optimates initio Ciceronis petitioni consulatus non favisse, cuius rei ipse Cicero de leg. agr. II, § 1—6 testis est.

E coniectura suspicer, rumores quidem Ciceronis petitioni profuisse, sed rumores de periculo a popularium ducibus, qui tum Catilinam Antoniumque in consulatus petitione omnibus viribus (confer Adnot. Asconii ad § 1 orat. in tog. cand.) adiuverant, nobilitatis dominationi instante. Cuius rei auctor Cicero est, qui in orat. in

tog. cand., ut ex fragmentis huius orationis cognosci potest, nobilitati metum iniecit, ne Catilina Antoniusque, par consulum, cum popularibus coniuncti rem publicam vexarent. Itaque facile fieri potuit, ut Sallustius rumores, qui ad Caesaris Crassique necessitudinem cum Catilina spectabant, posteritatem celaret, praesertim cum cognoverimus, quod consilium narrandi ille secutus sit (confer p. 2—5).

Secundum Sallustium (c. 24) Catilina repulsam passus revera coniurationem praeparavit. Cum iam ante comitia consularia Catilinam coniurationem facientem fingat, post eadem comitia Catilina coniurationem auxisse et omnia ad coniurationem praeparasse dicitur. Estne contradictio? Recte igitur Däbi (diss. p. 24) quaerit, num fieri potuerit, ut Catilina statim post repulsam anno 64. acceptam arma per Italiam distribueret omniaque ad tumultum publicum praepararet, cum ex Cicerone (confer orat. in Cat. I, § 7. II, § 5, — I, § 9. 24 etc.) sciamus, ea anno sequenti facta esse. Ex quo intelligitur, quam non firma sententia eorum sit, qui Sallustii auctoritate nixi putant, coniurationem iam ante annum 63. factam esse.

Quod ad vitam moresque Semproniæ (c. 25) attinet, scriptor adiecit ideo, nisi fallor, quod ipse sensit, quam exilis esset narratio cap. 24—26. Totum illud caput (c. 25) nihil aliud nisi excursus est.

Haud recte scriptor mihi videtur c. 26. narrasse, Ciceroni principio consulatus Catilinam insidias parasse et Ciceronem per Fulviam a Curio impetrasse, ut Catilinæ consilia proderet. Initio enim anni 63. popularium impetus in senatus maiestatem facti sunt, quo tempore Catilina Ciceroni insidiatus esse nusquam refertur (confer ad id Plut. in Vita Cic. c. 12. 14.), praeterquam quod illo tempore coniuratio nondum facta est.

Principio anni 63., S. c. 26. pergit, Cicero Antonium collegam eo adduxit pactione provinciæ, ne contra rem publicam sentiret.

Quod ad hanc pactionem pertinet, Plutarchus in Vita Ciceronis c. 12. refert, Ciceronem iam primis anni 63. diebus Antonio Macedoniam provinciam suam promisisse itaque in eo fuisse, ut legibus agrariis fortiter resistere easque infirmare ac tollere posset. Ex quo intelligitur, Ciceronem, praesertim cum illo tempore coniuratio nondum facta sit, id egisse (at contra Plutarchus in Vit. Cic. c. 12. falso narrat, Antonii consulis societatem cum Catilinariis magis quam cum popularibus optimatibus metum iniecisse), ut Antonius Ciceronis promissum adeptus a popularium partibus removeretur. Quam rem ita se habere docent loci apud Ciceronem de leg. agr. II, § 103 et de leg. agr. I, § 26. Neque tamen sententiæ nostræ

obstant Ciceronis verba in orat. in Pisonem § 5: „ego Antonium
collegam, cupidum provinciæ, multa in re publica molientem, patien-
tia atque obsequio meo mitigavi“, quæ verba non minus ad Antonii
cum popularibus coniunctionem quam ad eam, quam cum Catilina
inierat, spectare possunt. Antonium autem pactione provinciæ facta
per totum annum 63. non modo de coniunctione cum Caesare Crassoque.
sed etiam cum Catilinariis suspectum fuisse. huius rei testes sunt
loci Ciceroniani pro Sestio § 8. 11; in Cat. III, 14: pro Mur. § 49
et Cassius Dio 36, 25. Sed et ipsi popularium machinationum
in optimates eventus sententiam nostram verisimilem reddunt: nam
haud scio an recte Antonio tribuendum sit. quod pactione provinciæ
commotus parum acriter ac fortiter Ciceroni impetus populares im-
pugnanti restitit. Quamvis negandum non sit. a Sallustio verba
ad pactionem provinciæ pertinentia tantum de necessitudine Antonii
cum Catilina esse dicta. tamen docuisse mihi videor, Plutarchi
narrationem, praesertim cum Plutarchus rem uberius retulerit,
Sallustio esse praeferendam.

De comitiis consularibus. quo tempore facta sint. Johnius (p. 749—
63) bene egit. Sed hic tantum nobis dicendum est. ex Sallustio non
elucere, quo tempore comitia consularia anni 63. sint habita.

Sallustium c. 27.$_1$. ducum Catilinariorum dimissionem recte
commemorasse, docent, ut puto. Cic. pro Mur. § 49 et Plutarchus
in Vit. Cic. c. 14., qui narrant, Sullanos veteranos Romam venisse,
quo Catilinæ petitionem consulatus adiuvarent. Recte igitur Dübi
(diss. p. 28) scriptorem vituperat, quod nusquam in capitibus priori-
bus retulerit, Sullanos Romam venisse (confer c. 24.$_2$.). Qui error
Sallustii levitati, qua in fontibus suis usus est, videtur esse tribuen-
dus. (Confer ad id relationem de Cn. Pisone et P. Sittio c. 21.$_3$;
c. 19.) Atque idem caput (c. 27) rursus documento est. scriptorem
parum diligenter fontes suos excerpsisse, nam cum narret, quo modo
Catilina post comitia consularia habita egerit, tamen nihil dicit
de caede ante diem XII. Kal. Nov. et ante diem V. Kal. Nov. prae-
parata (cuius rei Cic. in Catil. I, § 7 et Plutarchus in Vit. Cic. c.
15. meminerunt; confer John. p. 788. 792. 794.) Idem scriptor
non commemorat, quo modo factum sit, ut Catilina se in liberam
custodiam daret. Quod ad temqus concilii in domo Laecæ habiti
attinet, mihi dubium non est, quin S. ignorarit, quo tempore illud
factum sit (confer John. p. 780. 781). Transpositio autem Linkeri
reicienda est, ut Dübi (diss. p. 29. 30.) videtur recte docuisse. Non
putarim, Sallustium Ciceronis scripta ad conventum in domo Laecæ

enarrandum adhibuisse ideo, quod illi scriptores nimis inter se
dissentiunt, quamvis (Dübi diss. p. 32) sit verisimile, scriptorem
nostrum Cicerouis oratione prima in Catilinam (confer § 32) et tertia
(confer § 16 et 17) usum esse. ut doceret, quæ Catilina in urbe
moliretur (de locis Ciceronianis, qui ad hunc conventum pertinent,
videas Dübi., diss. p. 34 ad c. 32.). Sallustium ad arbitrium suum
coniurationis historiam enarrare. haec scriptoris verba „docet. se
Manlium praemisisse ad eam multitudinem —; item alios in alia
loca opportuna“ (c. 27.$_4$), quæ verba recte Johnius (p. 780) Bau-
rum sequens vituperat, videntur indicare. Quod autem refert, Catili-
nam de sociorum ignavia questum esse, haud scio an non sit falsum,
cum Cass. Dio 37, 32. dicat idem. quo loco haud verisimile est. ut
postea docebimus, Dionem Sallustio esse usum. At contra Sallustii
verba c. 28.$_1$. — „Igitur perterritis ac dubitantibus ceteris (C. Corn-
lius, eques Romanus, operam suam pollicitus et cum eo L. Vargun-
teius senator constituere. . . . . Ciceronem — confodere)“ ad ipsam
rem esse parum accommodata, Cassius Dio loco, quem supra dixi-
mus, docet.

c. 28,$_2$. S. recte refert, Fulviam cum Cicerone periculum com-
municasse (confer Plutarch. in Vit. Cic. c. 17.). Quem fontem
scriptor hic secutus sit, haud certo scimus, sed tantum dicere pos-
sumus, fieri potuisse, ut Ciceronis orationes Catilinarias parum
accurate excerperet: quamvis putem illum ex traditione hausisse, ad
quam diversitates inter Cicerouem et Sallustium spectant.

Particula „interea“ c. 28.$_4$. respondet eidem particulæ c. 27.$_2$.,
cum illa doceat, quid a coniuratis extra urbem fiat, haec, quid in
ipsa urbe. Non habemus, cur dubitemus, quin vera sint, quæ c. 28.$_4$.
legantur, Manlium tum Marianos et nonnullos e Sullanis veteranis,
qui latrones facti erant, sibi adscivisse, praesertim cum ipse Cicero
dicat (pro Mur. § 49. 50., in Cat. II, § 5. 20.), Marianos coniurationis
participes fuisse. Haud scio an haec scriptor ex aequalium sermoni-
bus hauserit.

Scriptorem non coguovisse, qua de causa senatusconsultum
ultimum decerneretur, (c. 29,$_1$.) Johnius (p. 793. 794) haud male
docuit. Sed idem caput testimonio est, Sallustium fontes suos levissime
excerpentem historiam coniurationis ad voluntatem suam scripsisse.

Scriptoris verba c. 30.$_2$: „simul — alii portenta atque prodigia
nuntiabant, alii conventus fieri, arma portari“ a veritate abhorrent,
quod ad tempus, quo haec omnia esse facta ille refert, pertinet; nam
Plut. in Vit. Cic. c. 14, narrat, prodigia iam ante comitia consularia

esse facta et Cicero pro Mur. § 52., iam aliquanto antea coniuratos arma portasse (confer ad id in Cat. I. § 7.); verba denique „conventus fieri" omnino tam generaliter dicta sunt, ut scriptor nihil certi de ea re videatur audisse (nam nemo erit, qui infitietur, scriptorem his verbis ad coniuratorum coetum in Laecae domo factum spectasse, id quod paullo ante c. 27, $_{3.\ 4}$. commemoravit.). Cum senatus decreta, quæ c. 30, $_{3-7}$. S. nobis tradidit, ex senatus actis sive decretis ipsis sumpta videantur esse (Dübi, diss. p. 33.) et cum nobis non sit, cur recte de his dubitemus, nobis quidem nihil aliud relinquitur, nisi ut scriptorem ipsa facta vere enarrasse sumamus. Sed de tempore, quo haec facta esse scriptor refert, nobis est dubitandum. Decretum enim de custodiis in ipsa urbe habendis prius quam cetera, id est, confestim post S. C. U., factum esse, Cicero in Cat. I. § 7. 8. et Cassius Dio 37. 31. testes atque auctores sunt. (confer Johnium p. 799.) De gladiatoribus Capuam et in alia municipia distribuendis, item de ceteris scriptoris decretis Johnius (p. 797.) bene agit. Itaque facere non possum, quin existimem cum Johnio (p. 799.) scriptorem quidem senatus acta inspexisse, sed temporis ordine non servato collegisse atque historiæ suæ intexuisse. Unde S. c. 31. $_{1-3}$. coniecerit, populum timuisse, me scire non contendo quidem, sed putarim hoc ex aequalium sermonibus, non ex scriptore aliquo illum hausisse, etiamsi ipse Cicero in Cat. I. 1 timorem populi pariter ac Sallustius depingat, sed ita, ut fieri non potuerit, ut hic ex illo hanc narrationem sumeret. Catilinam de vi esse accusatum, (confer Sall. c. 31, $_{4}$.) auctor est Cassius Dio 37, 31.

Dubitarim, num scriptor Ciceronis oratione prima in Catilinam c. 31, $_{5-9}$. usus sit, ideo quod ille toto capite nihil narrat, quod apud Ciceronem inveniatur, quamvis meminerit, Ciceronis orationem rei publicæ utilem fuisse et Ciceronem hanc postea edidisse. Quod ad verba „dissimulandi causa vel sui expurgandi — in senatum (Catilina) venit" pertinet, negem haec a veritate abhorrere. Nam nemo erit, qui dubitet, quin fieri potuerit, ut Catilina sui expurgandi vel dissimulandi causa in curiam veniret, praesertim cum Cicero referat, Catilinæ magnam multitudinem familiarium et fautorum in curia fuisse, (in Cat. I. § 5. 6. 30., II, 3.) et Diodorus Siculus (vid. J. Bekkeri edit., tom. III, 40. $_{5}$. p. 196.), Catilinae fautores paene prohibuisse, quominus Cicero vetaret, Catilinam in urbe diutius commorari. Praeterea certo scimus, Catilinam re vera in senatu se defendere ausum esse (confer Cic. in Cat. I. 20. 21.; Diodor. Sic.).

Recte Johnius (p. 786) docuit, Sallustium non cognovisse, qua de

causa Cicero orationem I. in Cat. habuisset, cum ille nesciret, caedem consuli Ciceroni praeparatam fuisse illius orationis causa. Scriptor enim nullo modo hanc orationem cum relatione de caede praeparata ita coniunxit, ut illa causa huius intelligenda esset.

Sed qua fide verba, quae scriptor Catilinam in curia facientem fingit, digna sint, nobis deinde quaerendum est. Quae in veritate videntur non esse posita, quod ille verbum „inquilinus" hic falso loco commemoravit (confer Appianum de b. c. II, 3.) et quod vix credendum est, Catilinam sic apud senatores dixisse, ut scriptor eum dicentem facit, et quod verba, quae Catilina e curia decedens fecisse dicitur, secundum Ciceronis auctoritatem (confer pro Mur. § 51.) aliquanto ante iactata sunt. (confer Diod. Sicul.) Itaque sententiae me dedam, scriptorem hic ex aequalium sermonibus hausisse et ea, quae audivit, ad arbitrium suum narrasse (confer Dübi., diss. p. 34.) Postremo nescio an S. recte referat, dicens, § 8. cap. 31., senatores Catilinae voce contumeliosa audita obstrepuisse illumque parricidam vocasse, praesertim cum Cicero nihil eiusmodi commemoret et Diodorus Siculus a scriptore nostro dissideat.

De iis, quae S. c. 32. enarravit, mihi Johnius (p. 802.) et Dübi (diss. p. 34.) videntur satis egisse. Cap. 32. rursus testimonio est, illum historiam coniurationis exornasse.

Mandata autem, quibus Manlius legatos instructos ad Marcium Regem dimisit, vera esse existimo, quamvis fortasse concedendum sit, Sallustium mandata suis verbis reddere. Idem de Q. Marcii responso habeo, quod dicam. Verisimile est, in actis senatus aliquid eiusmodi esse promulgatum. Item non habemus, cur dubitemus, quin verum sit, Catilinam plerisque consularibus literas misisse (c. 34, $_{2}$.) Epistolam ad Q. Catulum non fictam esse, verba Sallustii c. 34, $_{3}$ „earum exemplum infra scriptum est" videntur indicare (confer Dübi., diss. p. 35.)

Ex Cicerone ipso haec esse sumpta, quae S. de C. Flaminio et de senatus decretis refert, non cum Dübio sumam (confer Dübi., diss. p. 36.), sed ex senatus actis, quae Cicero pervulgari iussit (confer Cic. in Cat. III, § 3; pro Sulla § 41—43), ideo quod nullo loco Ciceroniano eadem inveniantur, nisi forte sumis, e scriptis Ciceronis, quae nobis non iam sunt tradita, haec esse sumpta.

Johnio autem putanti (p. 762, not. 45.) a scriptore nostro tempus illius senatusconsulti, „ut Antonius cum exercitu Catilinam persequi maturet, falso esse proditum, assentiri non possum. Nam cum iter circiter 4 dierum a Roma usque Arretium et usque Faesulas

sit iter 5 dierum, Catilina autem lente in via Aurelia profectus (in Cat. II. § 6.) et paucos dies apud C. Flaminium commoratus in Manlii castra intraverit, certum est, Catilinam, qui nocte ante diem VI. Id. Nov. Romam reliquerat, intra octo dies ad Manlium venire non potuisse. Romam autem nuntio allato, Catilinam cum insignibus in Manlii castra Arretio relicto se contulisse, senatus Antonium contra Catilinam dimisit. Ex quo intelligitur, Antonium, praesertim cum circiter 4 dies 8 diebus adnumerandi sint — nam prius is nuntius, quem supra diximus, Romam pervenire non poterat — ante diem XII. Kal. Dec. in Catilinam proficisci non potuisse. Cui tempori non obstat illud Ciceronis in orat. pro Flacco § 98 (confer pro Mur. § 84.)

A cap. 36, $_{4}$. usque ad c. 39, $_{5}$. scriptor digressionem facit, cum dicat de periculo ex coniuratione instante, cui maxima pars plebis, denique omnes optimatium adversarii faverint, et de studiis partium vehementibus. His capitibus scriptorem nostrum in nonnullis Ciceronis auctoritatem esse secutum Dübio concedere non possum. Nam res ipsa postulat, ut vocabula ut „sentina“, vel synonyma ut „contagio, tabes“ in rerum Romanarum iniquitate enarranda usurpentur. Si praeterea Dübi (diss. p. 36. 37.) contendit, a Sallustio eadem omnino genera hominum, quae Cicero ut fautores consiliorum Catilinae attulit, afferri, id mihi non probandum est; nam scriptor urbanam plebem, quae „praeceps erat“, in septem classes sive genera dividit (confer Sall. c. 37, $_{4-10}$.): huc accedit, quod Cicero in orat. II in Catil. coniuratos in sex classes distribuit, noster autem plebem „praecipitem“. Postremo nego, sententias, quas Dübi utrique communes esse censet, hunc ex illo sumpsisse, ob eandem causam, quam de synonymis commemoravi. Sed potius putarim, scriptorem secundum rumores vulgares haec exposuisse.

Nuntius de Fulvio, quem S. c. 39, $_{5}$. commemorat, a Dione Cassio (l. 37, c. 36.) confirmatur. Scriptorem in eo aequalium sermonibus nixum esse, probabile est.

Quod Sallustius c. 39, $_{6}$. refert, Catilinam homines cuiusque generis sollicitasse, non habemus, cur dubitemus, praesertim cum ipse Cicero in Cat. III, § 4. referat, Lentulum Allobrogum sollicitationis auctorem fuisse.

C. 40. scriptor noster narrat, quo modo Allobroges ad coniurationem sollicitati sint. Iam ipse sermo inter Umbrenum et Allobroges factus parum fidei praebet. Huc accedit, quod noster cum Cicerone non consentit de eo, qui cum Gallis coniuratorum nomina com-

municarit (confer Dübi., diss. p. 37). Itaque facere non possum quin Dübio assentiar putanti, scriptorem id ex rumore quodam sumpsisse vel audisse ab aequalibus illorum temporum. At contra ea sunt digna maxima fide, quæ ille de indicio per Q. Fabium Sangam Ciceroni facto narrat c. 41., quamvis haec nobis Cicero non tradiderit (confer Dübi., diss. p. 38). Quæ ex senatus actis sumpta esse putarim (confer Dübi.). Sed idem mihi dicendum est de c. 42., quamquam de tempore seditionum in Piceno, Bruttio, in Gallia factarum dubito; (confer Cass. Dion. 37, 42. et P. Orosii, P. Hisp. Hist. l. IV, c. 6.). Ipse S. docet verbis „eisdem fere temporibus“, se ignarum esse temporis, quo hae seditiones oppressae sunt. Nunc venimus ad Dietschii coniecturam, (c. 42, $_{3}$.) „ulteriore“ pro „citeriore“, quam lectionem codices praebent. Dübi quidem (diss. p. 36) negat, Dietschium nixum loco Cic. pro Mur. § 89, neglecta omnium codicum auctoritate „ulteriore“ scribere posse, sed haud recte, ut mihi videtur. Scimus enim (confer Cic. in Pis. § 5.; ad famil. V, 1. V, 2.; Plut. Cic. c. 16.; Dio. Cass. 37, 33.), Ciceronem Q. Metello Celeri provinciam suam, Galliam cisalpinam, custodiendam tradidisse, ut Metello Picenum, ager Gallicus, Gallia cisalpina (sive citerior) provinciæ essent tuendæ. Itaque nobis nihil aliud reliquum est, nisi ut Dietschii coniecturam approbemus, nisi forte quis sumit, Sallustium falso „citeriore“ pro „ulteriore“ Gallia retulisse vel primam (codicis) manum iam hunc errorem fecisse.

c. 43. Lectionem „in agrum Faesulanum“, quam Dietschius delere vult, codicum auctoritate contineri, Appianus (de bell. civ. II, c. 3.) docuit, quem e Sallustio hausisse omnes historici recentes putant (confer Wiedemannum „Appian über die Catilinarische Verschwörung“, Philolog. XXI.). Sed cum Faesulae in Etruria septentrionali sitæ sint, id est, ut iam supra diximus (p. 16) iter 5 dierum Roma remotæ, non intelligo, quid tum verba scriptoris c. 43, $_{2}$. „simul caede et incendio perculsis omnibus ad Catilinam erumperent (scil. Catilinarii)“ sibi velint; nam id concedendum est, haec verba nullius momenti esse, si ad oppidum Faesulas in Etruria septentrionali sitas spectant. Quæ verba, ut id addamus, a veritate non aberrare, Cicero ipse testis est (confer in Cat. III, § 8; IV, 4.). Etiamsi, Polybii auctoritate nixi (vid. Polyb. II, c. 25—27.), sumamus, alteras Faesulas haud procul Clusio esse, tamen res est eadem: nam verba, quæ supra diximus, eo non magis perspicua fiunt. Itaque puto, haec scriptori esse vitio danda, praesertim cum lectio codicum auctoritate confirmata mutationem huius loci fieri non sinat.

Sed praeterea nobis est mirandum, scriptorem verbis „uti, cum Catilina in agrum Faesulanum cum exercitu venisset, L. Bestia, tr. plebis, — quereretur de actionibus Ciceronis etc“ usum esse, quibus tempus destinaret indicaretque, quo consilium coniuratorum perficeretur. Denique negandum non est, differentiam quandam esse inter verba (c. 43, $_1$.) „At Romæ Lentulus cum ceteris, qui principes coniurationis erant, constituerant, uti, cum Catilina etc“ et verba (c. 43, $_3$.) „inter haec parata atque decreta Cethegus semper querebatur de ignavia sociorum etc“ (confer Dübi., p. 39). Quod consilium coniuratorum ex aequalibus, id est, ex traditione vulgari illum sumpsisse, hoc cum verba (c. 43, $_2$.) „set ea divisa hoc modo dicebantur“ tum verba (c. 43, $_3$.), quæ ille Cethegum apud socios facientem fingit, verisimile reddunt (confer Dübi., diss. p. 39. extr.). Quæ cum ita sint, tamen non habemus, cur dubitemus de hoc consilio coniurationis; praesertim cum Cicero ipse nonnulla confirmet, Cethego cum ceteris coniurationis ducibus controversiam fuisse (in Cat. III, 10.); coniuratos constituisse, ut erumperent caede facta ad Catilinam (in Cat. III, 8; IV, 4.). Sed cum, ut sententiam nostram corroboremus, inter Sallustium et Ciceronem de hoc consilio maiores diversitates quam convenientia sint (confer ad id locos Ciceron. in Cat. IV, 13: pro Sulla § 53: in Cat. III, 10. 17., ubi Cicero de Saturnalibus dicit: videas praeterea Dübi., diss. p. 38. 39.), fieri vix potuit, ut alter ex altero materiam suam sumeret.

c. 44—47. proditio Allobrogum, coniuratorum comprehensio, actio in senatu de iis rebus facta narrantur. Quamvis negare non possim, his capitibus multa cum Ciceronis oratione III. in Catilinam (confer § 2—6. 8. 9. 10. 12. 14. 17. 19.) consentire, tamen Dübio censenti (diss. p. 40) Sallustium Ciceronis vestigia secutum esse, non assentiar. Cum enim multa apud Sallustium inveniantur, quæ Cicero non commemoravit (confer c. 44, $_{1 \cdot 2}$.; 44, $_6$. verba „cum a senatu hostis iudicatus sit“; c. 45, $_1$. verba „his rebus ita actis — . . . . cuncta edoctus“; 45, $_4$.; 46, $_{1 \cdot 2}$.; 46, $_4$. — „ceteri sine mora veniunt, Caeparius — . . . . profugerat“; c. 47, $_1$., 47, $_4$.), nobis nihil aliud nisi hoc reliquum est: aut sumemus, Sallustium omnia haec ex uno fonte sumpsisse, quem acta senatus nominemus, aut illum ex compluribus fontibus hausisse, id quod Dübi (confer eius diss. p. 40. 42.) censet. Sed non tam discrepantia quam convenientia inter utrumque scriptorem indicare videntur, Sallustium quidem Ciceronis orationibus hic non usum esse, sed fonte quodam, qui in summis rebus a Cicerone non differt, id est, actis senatus. Ipsa autem scriptoris

negligentia, quam iam saepius notavimus, docet, quomodo fieri potuerit, ut ille errata, quamvis pauca atque exigua sint, committeret. De quibus videas Dübianam dissert. (p. 40—42). Itaque nemo erit, qui dubitet, quin scriptor noster his capitibus a veritate non aberret, scilicet quod ad summam rerum pertinet. Postremo, antequam ad caput 48. veniamus, Dübi refutandus est, qui scriptorem nostrum falso vituperavit, quod, quæ de haruspicum responsis Cicero tradit (confer in Cat. III, 9. 19.; IV, 2.), ille coniungeret cum Lentuli iactationibus. Equidem putarim Sallustium recte narrasse, nam intelligere non possum, qua re nixus id Dübi recte contenderit.

Nuntium de vitæ plebei condicione scriptorem potius e memoria sua vel e traditione quam e Cicerone (in Cat. IV, 17; pro Sulla § 32), ut Dübi sumit (diss. p. 42) hausisse, existimarim. C. 48, $_{3-9}$. de Tarquinii indicio agendum est. Hoc capite Sallustium tabulas publicas, id est, senatus acta inspexisse, mihi haec verba videntur docere (§ 6.) „Tarquinii indicium falsum videri etc“. Haud scio an huc trahenda sint verba, quæ (§ 4.) Tarquinium in curia scriptor facientem fingit. Cetera in hoc capite posita ex aequalibus coniurationis sumpta esse putem, nixus §§ 7—9., ubi scriptor aequalium sermones commemorat et (§ 3.) verbis „quem (scil. Tarquinium) proficiscentem ex itinere retractum aiebant“. Verba, quæ § 5. continentur, ex senatus actis hausta esse non posse neque ex Cicerone, — nisi quis forte cogitat de eius libro secreto — nobis est concedendum. Itaque non vereor, ne quis vitio det mihi sumenti, haec ex aequalium coniurationis sermonibus esse hausta.

Unde S. nuntium de Q. Catuli et C. Pisonis in C. Caesarem criminationibus (c. 49) compererit, deinde nobis est quaerendum. Cum enim sciamus, Ciceronem in commentario (περὶ ὑπατείας) de Caesaris periculo non dixisse, neque quidquam in iis Ciceronis scriptis, quæ nobis sunt servata, de ea re inveniatur, facere non possumus, quin putemus, scriptorem nostrum hic Cicerone non usum esse (confer Plut. Vit. Caes. c. 8.). Praeterea nemo erit, qui contendat, hanc relationem auctoritate senatus actorum contineri. Omnino negandum non est Sallustium nullius scriptoris auctoritatem secutum esse propter verba, quæ ad tempus incertum spectant „Set eisdem temporibus“. Itaque verisimile est, aequalium sermones scriptori fontem fuisse. Sed de veritate eius nuntii dubitandum non erit ideo, quod alii scriptores idem referunt (confer Sueton. d. J. c. 14. et Plut. in Vit. Caes. c. 8.)

Cap. 50. Sallustius, cum cap. 49. digressionem fecerit, ad c. 48.

revertitur. Haud scio an haec facta sit eo consilio, ut criminationibus in Crassum, quas refutare animum non induxit, criminationes in Caesarem adderet, quas quacunque ratione acerrime redarguit. Huius rei testimonium est Sallustii dictio „set eisdem fere temporibus“ et verba c. $50,_1$. „dum haec in senatu aguntur et dum legatis Allobrogum et Tito Volturcio . . . . praemia decernuntur“, quæ verba docent, scriptorem ea, quæ facta sunt secundo die post coniuratos comprehensos (confer Cic. in Cat. IV, 5. 10.), haud ignorasse Idem verba sequentia „liberti et pauci ex clientibus Lentuli — opifices atque servitia ad eum eripiendum sollicitabant etc“ testificantur, nam scimus ex aliis quoque scriptoribus (vid. Cic. pro Flacco § 103. et Cass. Dion. 37, 35.), ut hoc inceptum libertorum atque clientium captivorum liberandorum causa nocte ante Nonas Dec. a. 63. patraretur, esse constitutum, sed Ciceronis industria et providentia illud ad irritum redactum. Quod ad D. Junii Silani sententiam pertinet, Suetonius (in div. Jul. c. 14.) a Sallustio in eo differt, quod dicit, Silanum sententiam suam tantum aliter esse interpretatum, Caesaris oratione commotum, non mutasse. Sed Suetonio obstat Plutarchi auctoritas (confer Vit. Cat. c. 23. „*τόν τε Σιλανὸν καχίζων (scil. Κάτων) τῆς μεταβολῆς.*“ confer ad id Vit. Cat. c. 22. extr., Vit. Cic. c. 21., Vitam Caes. c. 8.). Mea sententia haec est, Sallustium recte referre de Silani sententia. Venimus nunc ad Tiberii Neronis sententiam. Sed de ea duæ relationes sunt, una quam Sallustius, altera quam Appianus (de bello civ. II, c. 5. extr.) his verbis nobis tradidit „*ὁ Νέρων ἐδικαίου φυλάττειν αὐτούς, μέχρι Κατιλίναν ἐξελῶσι πολέμῳ καὶ τὰ ἀκριβέστατα μάθωσι.*“ Sententiam Neronis, quam Appianus affert, praeferendam esse Sallustio existimarim, quod verba, quæ S. Neronem in curia facientem fingit, parum accurate dicta sunt. Praeterea id, quod sequitur, Neronis sententiam ab Appiano enarratam verisimiliorem reddit quam Sallustianam. Plutarchus enim (in Vit. Caes, c. 7. extr.) Caesaris sententiam a Cicerone (in Cat. IV, § 7. 8.) et a Sallustio (c. $51,_{43}$.) dissidentem, id est, falso refert. Quaerendum erit autem nobis, unde eveniat, ut Plutarchus a Cicerone et a Sallustio in ea re differat. Verisimile enim non est, fontem Plutarchi (Livium?) iam in eo errasse, neque quidquam nobis aliud relinquitur nisi ut ipsi Plutarcho hunc errorem tribuamus. Cum Plutarchus quidem narret, Caesarem sententiam tulisse, quæ iudicium de coniuratis differret, sed sciamus (ex Sallustio et Appiano), Neronis sententiam eam fuisse, quæ iudicium de coniuratis in posterum tempus, cum Catilina esset devictus, differi vellet, „haec opinio non

est repudianda, Plutarchum falso ex fonte suo Neronis sententiam pro Caesaris sententia excerpsisse. Ac ne Appianus quidem Neronis sententiam sinceram atque incolumem nobis videtur tradidisse. Appianus enim refert Caesarem sententiam tulisse, ut, cum Catilina esset oppressus, denuo iudicium senatus de captivorum sorte fieret, et Caesaris sententiam ita cum Neronis sententia commiscet, ut uterque vir paene idem videatur dixisse: id quod a veritate abhorret. Cum autem constet, Appianum haec non finxisse, nobis putandum est, Neronis sententiam non vere atque accurate esse narratam et Appianum falso ad Caesarem referre, quæ ad Neronem sunt referenda. Itaque censeo, eam sententiam, quam a Caesare esse dictam Plutarchus narrat, ideo, quod a Neronis sententia non valde dissentit et quod sententiam, quam Plutarchus Caesaris fuisse refert, Caesar omnino dicere non potuit secundum Ciceronem Sallustiumque, re vera Neronem dixisse.

Nobis reliquum est, ut accuratius de oratione Caesaris et Catonis loquamur. Primum autem de C. Caesaris oratione in senatu habita est dicendum. Dübio (cuius dissert. p. 45. videas) concedere debemus, Sallustium e Ciceronis oratione IV. in Catil. hausisse. Sed mihi plane dubium est, num Cicero unus fons Sallustii fuerit. Cuius rei testimonia sunt haec: Cicero legum Porciarum in orat. IV. in Cat. non meminit neque commemorat, quot mala e „novo consilio“ D. Junii Silani (confer Sall. c. $51,_{26-37}$.) in rem publicam redundare possint. Sallustium ea, quæ de lege Sempronia, cuius nomen nusquam affert, dixit, non e Cicerone sumpsisse ex eo concludam, quod Cicero (in Cat. IV, 10.) Caesaris appellationem ad legem Semproniam narrando corrupit Caesarique, ut Dübi (p. 45. diss.) recte vidit, falsum argumentum atque Caesare indignum supposuit.

Haud scio an non ficta sint haec verba et ea verba, quæ ad Sullanas proscriptiones spectant (§ 32—36 huius orationis), praesertim cum non discrepent a totius orationis argumento neque quidquam contineant, quod ab illo statu atque rei publicæ condicione alienum sit. Putarim igitur scriptorem veras quidem quasdam relationes illius temporis aequalium ad Caesaris orationem enarrandam adhibuisse, sed omnino liberius et ad voluntatem suam totam materiam collectam coniunxisse, ita, ut modo rem mutaret ac diminueret [confer § 14. 15., ubi impetus populares in auctores sententiæ severioris minus depingit quam Cicero (in Cat. IV, § 9. et Plutarchus in Vit. Cat. c. 22.)], modo adornaret atque amplificaret (confer § 5. 6. 9. 10. 37—42.). Quae cum ita sint, tamen contenderim, scriptorem in

summa re a Caesaris oratione vere in senatu dicta non valde abhorruisse.

De Caesaris sententia (§ 43.) iis, quæ Dübi (diss. p. 46) dixit, assentiar.

c. 52. Venimus ad Catonis orationem. Mirandum est, quod S. orationem, quam Cicero habuit post Caesaris orationem, silentio praetermittit. Equidem putarim scriptorem Ciceronis orationem ideo neglexisse, quod in animo habuit, ut Caesarem et Catonem ita eorum orationes inter se comparare (vid. c. 53, $_6$. et c. 54.). Huc accedit, quod Ciceronis amicus non fuit et quod videtur scivisse, Ciceronis orationem optimatibus plus timoris quam fiduciæ atque animi iniecisse.

Recte Dübi (diss. p. 46) docuit, Sallustium Catonis orationem ante oculos habuisse non videri, sed Ciceronis orationem IV. in Catilinam. Quod cum concedam, tamen dubito, num scriptor ex uno fonte hanc orationem, quam Cato habet, fingere potuerit. Nonnulli autem loci sunt, quorum fides aliis fontibus confirmetur. In eo enim, quod Cato mansuetudinem et misericordiam § 11. 12. vituperat, cum Plutarcho (in Vita Cat. c. 23.) et Velleio Paterculo (II. 35.) consentit, quamvis Sallustius non dicat (secundum rationem politicam), haec Catonis verba Caesarem petere. Idem (§ 16.) commemorat quidem, Catonem verba fecisse, quæ Caesarem in coniurationis suspicionem vocarent, sed eorum vim attenuat et frangit (confer Plut. in Vit. Cat. c. 23. et in Vit. Cic. c. 21.). Non est autem cum Dübio (diss. p. 46. vid.) negandum, Sallustium nonnulla in hac oratione ad suum arbitrium depinxisse (confer § 19—24., § 7—9.). Verba autem § 29 „non votis neque suppliciis muliebribus auxilia deorum parantur" non esse dicta, Dübio (p. 46. diss.) concesserim, sed non negarim, his verbis, quæ ad Catonis mores severos accommodata videntur esse, Ciceronem peti. De hac oratione idem ac de Caesaris oratione dicam, eam partim ex Ciceronis oratione IV. in Catilinam, partim ex sermonibus sive rumoribus aequalium esse compositam, sed ita, ut contineat „veritatem et poesin". At si quis contendat, Sallustium Catonis oratione ipsa usum esse, de eo ideo dubitandum est, quod tum fieri non potuit, ut Sallustius nonnulla mutaret, alia adderet, alia fingeret. De Catonis sententia videas Düb. (diss. p. 47.). Postquam de orationibus egimus, pauca de ceteris capitibus sunt dicenda.

c. 53, $_1$. Quin Sallustius de orationis Catonianae eventu recte referat, non habemus, cur dubitemus (confer Cic. in M. Antonium Phil. II, § 12; Cic. ad Att. XII, 21.). Quod ex aequalibus coniurationis illum audisse, verisimile est.

c. 53, $_{2-6}$. et c. 54. ille e sua memoria videtur composuisse. De iis, quæ his capitibus continentur, iam supra (confer p. 5.) diximus.

Nuntii, quos c. 55. praebet, confirmantur fontibus posterioribus. Supplicium enim de quinque captivis confestim post iudicium senatus esse sumptum, Cassius Dio (37, 36.) et Cicero (pro Sulla § 33.) et Plutarchus (in Vita Cic. c. 22. init.) affirmant. Eandem causam supplicii celeris, quam Sallustius, Plutarchus (in Vit. Cic. c. 22.) et Appianus (de bell. civ. II, 6.) afferunt. Praesidia, quæ consul Cicero in locis Romæ nonnullis collocaverat, commemorant et ipse Cicero (de prov. cons. § 12. et Philipp. II. § 16) et Appianus (de bell. civ. II, 5. extr.). De Lentuli familia eiusque consulatu videas Plut. (in Vit. Cic. c. 17.) et Cass. Dion. (37, 30.). De loco, ubi supplicium de coniuratis sumptum est, nemo alius scriptor refert. Quem fontem S. hic secutus sit, dici non potest. Sed de huius fontis fide dubitandum non est.

Quæ in sequentibus capitibus S. narrat, a nullo quidem scriptore, quem e Sallustio non hausisse constat, confirmantur, sed tamen non est, cur de Sallustii fide dubitemus praeter id, quod c. 59, $_4$. de C. Antonio dictum est. S. enim non commemorat, qua de causa Antonius imperium atque exercitum die pugnæ M. Petreio legato tradiderit eumque consuli Ciceroni et Romanis in suspicionem venisse (confer Cic. pro Sestio § 12. et Cass. Dion. 37, 39.). Orationem autem, quam S. Catilinam apud milites suos facientem fingit, non ita esse habitam, nemo erit, qui non concedat.

Quod ad fidem auctoritatemque Sallustii pertinet, hoc, ut omnia, quæ de ea re diximus, complectamur, est tenendum: Sallustius, ubicunque a Cicerone dissentit, Ciceroni est postponendus in omnibus, paucis exceptis [confer id, quod Cicero in Cat. IV, § 10. arte quadam sophistarum de Caesare legem Semproniam appellante dixit et Ciceronis verba (in Cat. I, § 11. 15.) de insidiis sibi consuli designato a Catilina paratis, quas Sallustius silentio praetermittit]. In iis autem, quæ Sallustius uberius quam Cicero refert, eum sequi non possumus, nisi certo scimus, illum ex senatus actis hausisse vel illi non fuisse, cur aliquid silentio praetermitteret vel illum omnino ex fontibus certis materiam suam sumpsisse. Neque enim negandum est, Sallustium, ut supra demonstrasse mihi videor, chronologiam valde neglexisse et interdum in ipsis rebus enarrandis

negligentiam et levitatem ostendisse. Sed fides Sallustio est habenda in iis, quæ de Catilinarii exercitus sorte (confer c. 56—61.) dixit, et in iis, quæ non solum a Cicerone, sed a scriptoribus temporis posterioris confirmantur. Quod ad ipsos fontes, quos Sallustium secutum esse pro certo habemus, pertinet, nobis concedendum est, illum maximam partem narrationis suæ e sermonibus aequalium illius temporis et e memoria sua hausisse, sed scriptos quoque fontes, id est, tabulas publicas et Ciceronis orationes Catilinarias excerpsisse.

Postremum mihi liceat repetere, quæ satis docuisse mihi videor (p. 2—5), Sallustium hunc librum de coniuratione Catilinaria scripsisse, quo Caesarem a coniurationis suspicione defenderet eumque hoc crimine purgaret.

B. Livii Periochæ.

Ea, quæ nobis prodita sunt ex T. Livii libris sub nomine „Periochæ“ non multum novi ad historiam coniurationis Catilinariæ enarrandam afferunt.

Quod ad fontes, quos Livium secutum esse verisimile est, attinet, Dübi (confer eius commentationem, quæ inscribitur „über die jüngeren Quellen der Catilinar. Verschwörung, in d. Jahrb. für Philologie 113. Bd. 1876. p. 853.), ex eo, quod Livii epitomator l. 101. Sullam et Autronium coniurationis prioris auctores nominat, concludere videtur, Suetonium, qui (in divo Julio c. 9.) commemorat, Sullam in huius coniurationis sociis fuisse, eisdem fontibus, quibus Livium, esse usum. Sed quominus hoc putemus, impedit nos maxime id, quod Caesar et Crassus apud Suetonium coniurationis principes dicuntur, cum apud Livii epitomatorem nihil de ea re inveniatur.

L. 102. Quod Johnius dicit (p. 756), epitomatorem his verbis „L. Catilina bis repulsam in petitione consulatus passus cum Lentulo praetore et Cethego compluribusque aliis coniuravit de caede consulum et senatus“ coniurationis initium ante comitia consularia anni 63. non statuisse, hoc est repudiandum. Cui tantum id oppono, quod ex hac tam abrupta narratione concludere, coniurationem ante comitia consularia anni 63. nondum fuisse, non licet. Neque pluris aestimanda est haec Johnii sententia (vid. p. 756.), locum Cassii Dionis (37, 30.), ubi dicit „*καὶ οὕτως ὕπατοί τε ἕτεροι ᾑρέθησαν καὶ ἐκεῖνος* (scil. *Κατιλίνας*) *οὐκέτι λάθρα οὐδὲ ἐπὶ τὸν Κικέρωνα τούς τε σὺν αὐτῷ μόνους, ἀλλὰ καὶ ἐπὶ πᾶν τὸ κοινὸν τὴν ἐπιβουλὴν συνίστη,*“ quem locum illum ex Livio hausisse verisimile sit, multum

valere ad opinionem suam confirmandam. Iohnium in ea re errare, ex hoc, quod sequitur, intelligi potest. Nam capite 29. eiusdem libri (scil. 37.) idem Dio narrat, Catilinam, cum vidisset, legem Tulliam de ambitu in se ipsum esse constitutam, manum armatorum collegisse, ut Ciceronem comitiis consularibus necaret; Ciceronem autem, haud ignarum huius periculi, ante comitia quidem consularia anni 63. insidias a Catilina sibi paratas communicasse, sed ei fidem non esse habitam. Sed cum rumores de coniuratione per populum percrebescerent et populus coniuratis valde esset iratus, factum esse, ut coniurationis socii caedem comitiis ipsis consularibus facere non auderent. Nonne satis Dio Cassius probat, coniurationem iam ante comitia consularia fuisse? Ipsa verba epitomatoris „ea coniuratio industria M. Tullii Ciceronis eruta est (l. 102.) et „Catilina urbe pulso“ Sallustium epitomatoris fontem non fuisse testes sunt. Nec minus verba in l. 103. „Catilina a C. Antonio proconsule cum exercitu caesus est“ a Sallustio abhorrent, apud quem nihil eiusmodi inveniatur. Sed quam incerta sit epitomatoris relatio, ex uno exemplo satis elucet, quod est in l. 103., ubi ille his verbis utitur „M. Pupius et M. Valerius. His consulibus Catilina in agro Pistoriensi a C. Antonio bello peremptus est“, cum constet, Murena et Silano consulibus Catilinam cecidisse. Itaque moneam, ne nimiam Livii excerptis fidem habeas; praesertim cum illa non solum exigua atque exilia sint, verúm etiam non accurate ac diligenter, ut supra vidimus, facta esse videantur.

C. Diodorus Siculus.

Duo fragmenta Diodori nobis servata sunt de coniuratione Catilinaria, quorum unum apud J. Bekkerum (tom. III, l. 40, 5. p. 196), alterum apud Muellerum (Histor. graec. fragm. II, p. XXVI. fr. 35.) invenitur.

Primum igitur dicamus de fragmento, quod J. Bekkerus edidit. Hoc de rebus, quæ factæ sunt ante diem VII. Id. Nov. anni 63., quo die Cicero primam orationem in Catilinam habuit, agit. Diodorus enim narrat, Catilinam, cum Cicero in eum invectus esset, dixisse, sese ultro in exsilium non iturum esse. Tum Ciceronem senatores rogasse, num placeret, Catilinam in exsilium ire. Qui cum tacerent, Ciceronem iterum, sed alio modo rogasse, num senatui placeret, Catilinam in exsilium non ire. Senatum autem declarasse, sibi non placere, et iratum alteri rogationi fuisse. Quo facto Cice-

ronem dixisse, senatum his verbis iussum consulis, Catilina urbem relinqueret seque in exsilium conferret, approbasse. Catilinam autem e curia abiisse dicentem, se sibimet ipsi esse consulturum.

Quam Diodori narrationem in summa a veritate non abhorrere, ipse Cicero testis est, qui in orat. I. in Cat. § 20. 21. narrat idem, praeter unum, quod non commemorat, a Cicerone senatores bis sententiam esse rogatos. Neque tamen habemus, cur de ea re dubitemus, praesertim cum verba Ciceronis § 21 „At si hoc idem huic adolescenti optimo, P. Sestio, si fortissimo viro, M. Marcello dixissem, iam mihi consuli, hoc ipso in templo, iure optimo senatus vim et manus intulisset, de te autem, Catilina, quum quiescunt, probant etc“ a verbis Diodori „ἔφησεν, ὅταν τινὰ μὴ νομίσωσιν εἶναι ἐπιτήδειον φυγῆς, μεθ᾽ ὅσης κραυγῆς ἀντιλέγουσιν· ὥστε εἶναι φανερόν, ὅτι διὰ τῆς φωνῆς ὁμολογοῦσι φυγήν“ non valde differant. Id tantum dubium sit de Diodori narratione, num senatores alteri Ciceronis rogationi irati fuerint. Sed cum cognoverimus, Diodorum in reliqua parte narrationis a vero aberrasse non videri, haud scio an recte sumi possit hic quoque scriptorem verum dixisse. Quod si quis contendat, Diodori verba „μιᾷ δὲ φωνῇ πάντων ἀναβοησάντων, μὴ δοκεῖν“ a Ciceronis verbis (§ 20. „ecquid animadvertis horum silentium? Patiuntur, tacent“, confer § 21.) prorsus dissidere, is erret, nam Cicero de tacendo, quod verba Ciceronis (apud Diodorum) „ὥστε εἶναι φανερόν, ὅτι διὰ τῆς φωνῆς ὁμολογοῦσι φυγήν“ secutum esse concludere possumus, dixisse videtur. Quamvis affirmare non possimus, ex hoc vel illo scriptore Diodorum hausisse, tamen coniciamus, Ciceronis librum „περὶ ὑπατείας“ fontem fuisse, quod, ut supra vidimus, Diodorus a Cicerone in hac relatione non valde differt.

Verba autem, quæ ante hanc narrationem a Bekkero sunt posita „ὅτι Λεύκιος Σέργιος ὁ ἐπικαλούμενος Κατιλίνας κατάχρεως γεγονὼς ἀπόστασιν ἐμελέτησεν“ supra silentio praeterii: neque enim negandum est, haec verba cum sequentibus „ὁ δὲ Μάρκος ὁ Κικέρων ὁ ὕπατος λόγον διετίθετο περὶ τῆς προσδοκωμένης ταραχῆς καὶ κληθέντος Κατιλίνα etc“ haud bene coniungi posse. Huc accedit, quod alterum fragmentum Diodori nobis traditum eadem fere verba continet „ὅτι (κατὰ τὴν Ῥώμην) Κατιλίνας τις κατάχρεως (καὶ Λέντλος ὁ ἐπικαλούμενος Σούρας ἀθροίσαντες ὄχλον) ἀπόστασιν ἐμελέτησαν“ Quæ verba scriptor de suo narrationi addiderit, id quod repetitio prope eorundem verborum docere videtur.

Cum igitur facere non possimus, quin illi fragmento a Bekkero edito fidem tribuamus, alterum fragmentum, quod apud Muellerum

invenitur, parvi existimandum est; nam tota narratio Diodori in eo posita plena est errorum. Primum id vituperandum est, quod scriptor refert, Catilinam cum Lentulo senatoribus caedem facere voluisse Saturnalibus, cum certo sciamus, Lentulum ceterosque coniuratos in urbe relictos Catilina inscio hoc consilium iniisse (confer Cic. in Cat. III, 17; Sall. c. 43., Plut. in Vit Cic. c. 18.). Deinde haud scio an non verum sit, Fulviam cum Ciceronis muliere, Terentia, rem communicasse itaque coniurationis consilium esse apertum, praesertim cum ex Sallustio (confer c. 41. et 44.) audiamus, iam tum per Ciceronem Allobroges ad id esse adductos, ut sibi coniuratorum consilia proderent. Tertium Diodorus nomina proditoris eiusque amicæ, quæ Sallustius nominavit (c. 23.), non affert. Praeterea D. delicias atque amores utriusque copiosius delicatiusque enarrat quam Sallustius. Postremum Dübio assentiendum est neganti (Jahrb. d. class. Phil. 113. Bd. p. 878), coniurationem extremis demum anni 63. diebus per Ciceronis uxorem apertam esse. Differentiæ (ut fontem, quem Diodorum excerpsisse verisimile est, quaeramus) inter Sallustium et Diodorum cum de tempore huius narrationis tum de ipsa re tot et tantæ sunt, ut sumi non possit, alterum ex altero hausisse. Dübi quidem (p. 878) putat, Attici commentarios fontem Diodori fuisse, sed habeo, cur de hac opinione dubitem. Cum enim nesciamus, num Atticus tam vagos rumores commentariis suis intexuerit, neque intelligamus, quem auctorem Diodorus ea in re secutus sit, nihil aliud dicere possumus nisi „non liquet“. De fide autem huius relationis mea sententia haec est, historicum propter multos errores Diodori nihil ex hoc fragmento ad historiam coniurationis enarrandam sumere debere.

D. Velleius Paterculus.

Velleius de coniuratione Catilinaria paucis in libro II. c. 34, 3. et c. 35. historiarum Romanarum scripsit.

In cap. 34. libri II., quod ex Sallustio excerptum esse Dübi (p. 853 54. in Adnot. ad Vell. Paterc.) putare videtur, Velleium Sallustii auctoritatem non esse secutum ex eo intelligitur, quod ille narrat, Catilinam imperium consulis timentem urbem reliquisse, cum Sallustius nihil de ea re nobis tradiderit, et quod Ciceronis meritum de coniuratione oppressa valde amplificat et laudibus summis afficit, dissidens in ea re a Sallustio. Pauca autem sunt, unde appareat, quo auctore Velleius usus sit. Quamquam Velleius in

singulis rebus haud accurate refert — neque enim nominat, qui a Catone in coniurationis suspicionem sint vocati et universum senatum in Catonis sententiam transiisse (confer Sallust. c. 53, $_{1}$.) dicit, — tamen concedendum est, in summis rebus illum verum dixisse neque consulto veritatem obscurasse. Praeterea negandum non est, Velleium in nonnullis cum Plutarcho consentire: confer Plutarchi locum, ubi dicit, senatum Ciceronem domum esse prosecutum (confer Vit. Cic. c. 22.), cum Velleii verbis „ut maiorque pars ordinis eius (scil. senatus) Ciceronem prosequerentur domum.“ Deinde confer Plutarchi verba (in Vit. Cic. 21.) *εἶτα δεξάμενος Κάτων . . . ἐνέπλησε θυμοῦ καὶ φρονήματος τὴν σύγκλητον* et in Vit. Cat. c. 23. init.) cum Velleii verbis „tanta vi animi atque ingeni invectus est in coniurationem, eo ardore oris orationem omnium lenitatem suadentium societate consili suspectam fecit, sic impendentia ex ruinis etc.“ Qui cum non de verbis inter se consentiant, sed de rebus, ea sententia haud procul abest, utrumque scriptorem eodem fonte esse usum. Cum autem verisimile sit, Plutarchum his locis, quos supra diximus, Livio, ut postea demonstrabimus, esse usum, et cum Velleius cum Plutarcho in nonnullis congruat, ex eo sequi videtur, ut Livius auctor cum Plutarchi tum Velleii fuerit. Quæ opinio eo verisimilior fit, quod Velleius ex Sallustio non hausit neque, ut videtur, ex Cicerone, quod Cicero nusquam de Catonis sententia uberius dixit et quod vix fieri potuit, ut Catonis sententia ita, ut a Velleio factum est, a Cicerone laudibus ad coelum efferretur. Itaque, cum neque Cicero neque Sallustius Velleii fons videatur fuisse, Velleius autem semper fontem magnum atque continuum excerpere soleat (confer Dübium ad Vellei. Pat.), nobis nihil aliud reliquum est nisi ut sumamus, Velleio maximam rerum Romanarum historiam, T. Livii, ante oculos esse versatam.

E. Plutarchus.

De fontibus Plutarchi historicorum recentiorum sententiæ valde inter se differunt. Cum enim Dübi (p. 864 in Adnot. ad Plut.) putet, Plutarchum materiæ suæ maximam partem e fonte continuo (e Livio), reliqua e Ciceronis commentariis de consulatu eiusque orationibus et ex Sallustio sumpsisse, Schliephackius (p. 31. 32. 29. 30.) dicit, a Plutarcho Livium esse excerptum, Sallustium auctorem Plutarchi non fuisse, sed fortasse Thraseam Paetum (p. 28.), negligens ceteros fontes, quos Dübi auctores Plutarchi fuisse sumit;

G. Thouretius contendit (in scripto, quod inscribitur „de Cicerone, Asinio Pollione, C. Oppio Rerum Caesarianarum scriptoribus“ in Studiis Lipsiensibus I, p. 313 ff. 1878.), a Plutarcho et Cassio Dione Livium non esse excerptum, sed Ciceronem utriusque scriptoris unicum fontem fuisse.

Quod attinet ad Dübium censentem, Plutarchum ex Sallustio aliquid sumpsisse in primis capitibus, quæ in Ciceronis Vita de coniuratione Catilinaria agunt (confer ad c. 10—12. Dübii sententiam p. 854. et 855.), id probare nolim, sed potius Schliephackium sequar (confer p. 22. 23. scripti, quod p. 11. diximus) putantem, Sallustio Plutarchum non usum esse, sed alio fonte, qui praeter alios auctores ipsum Sallustium excerperet. Hae enim causæ nos prohibent, quominus sumamus, e Sallustio Plutarchum hausisse. Primum Plutarchi sententia de constitutione Sullana prorsus abhorret a Sallustio (confer Plut. in Vit. Cic. c. 10. et c. 12. init. cum Sall. c. 11. $_{4-7}$. c. 38. et 39.), id est, apud Plutarchum sententia optimatium, apud Sallustium popularium in coniurationis historia enarranda elucet. Deinde secundum Plutarchum (confer Vit. Cic. c. 10.) origo coniurationis est socialis, at contra Sallustius putat, originem magis in Catilinæ ingenio pravo moribusque malis, quam in rei publicæ moribus corruptis et institutis esse positam (vid. Sall. c. 5. $_{4-8}$.; c. 15, $_{3}$. $_{4}$.). Praeterea verba c. 11 „*ἀνδρὶ* (scil. Antonio) *καθ᾽ αὑτὸν μὲν οὔτε πρὸς τὸ βέλτιον οὔτε πρὸς τὸ χεῖρον ἡγεμονικῷ, προςθήκῃ δ᾽ἄγοντος ἑτέρου δυνάμεως ἐσομένῳ*“ ad Sallustium ut auctorem non spectant. De reliquis causis, quæ Sallustii auctoritati obstant, videas Schliephackium (p. 22. et 23.). Quod igitur partim a Sallustio in c. 10. et 11. Plutarchus differt, partim non dissentit (confer Schlieph. p. 22. et 23.), ex eo sequitur, ut Plutarchus ex alio fonte hauserit, qui ipse iam Sallustii auctoritatem ad historiam coniurationis enarrandam adhibuit. Sed contenderim, Ciceronem non magis quam Sallustium Plutarchi auctorem fuisse. Neque enim est negandum, Plutarchum in c. 10. ex Cicerone sumere non potuisse ideo quod Cicero, ut tantum duas causas afferam, narrat, coniurationem anno 64. nondum esse factam et coniurationis partem politicam praestare sociali. Capite 11. autem Ciceronem auctorem non fuisse, verba „*ταῦτα δὴ τῶν καλῶν καὶ ἀγαθῶν οἱ πλεῖστοι προαισθόμενοι τὸν Κικέρωνα προῆγον ἐπὶ τὴν ὑπατείαν*“ docent: nam vix fieri potuit, ut ipse Cicero diceret, sibi rumorem de Catilinæ coniuratione cum Antonio utilem atque aptum fuisse ad consulatum adipiscendum. Cum igitur neque Cicero nec Sallustius a Plutarcho sint excerpti et cum Plutarchus,

ut vidimus, fonte, qui a Cicerone non valde differt neque a Sallustio, usus sit, ea sententia respui non potest. Livium hunc fontem fuisse, praesertim cum ei fonti, e quo Plutarchus in c. 10. et 11. hausit, propensum in optimates studium abiudicandum non sit.

Cap. 12. in Vit. Cic. (confer c. 14. init.) scriptor refert, coniuratos tum, cum populares cum optimatibus acerrime certarent, agere non ausos esse. Recte miramur, quod Plutarchus non commemoravit, cur coniurati siluerint neque se commoverint. Ipsum autem scriptorem, quem Plutarchus sequitur, haud recte cognovisse, quo tempore coniuratio fieret, eius rei testimonia sunt haec. Primum scriptor popularium impetus in optimates c. 12 init. προάγωνας appellat, id est, scriptor, qui de tempore originis coniurationis in Sallustii auctoritate haeret, nesciens, ut iam supra diximus, quo tempore coniuratio primum omnino apparuerit, nihil melius sese facere posse putavit quam ut hoc modo rem tractaret. Huc accedit, quod Plutarchus narrat (c. 14. in Vita Cic.), a veteranis Sullanis Catilinam esse irritatum, ut rem publicam perverteret, eosque se tum cum Catilina coniunxisse, cum consulatum peteret, et ob eam causam se Romam contulisse, quo eius petitioni consulerent. An quisquam dubitet, quin loci Plutarchi, c. 10., ubi de coniurationis sociis iam coniunctis et de motu in Etruria atque in Gallia cisalpina, et c. 14., ubi de veteranis Catilinam sollicitantibus dictum est, inter se repugnare videantur? Quæ eiusdem scriptoris [Plutarchi] differentiæ inde sunt deducendæ, quod ille ex fonte hausit, qui iam Sallustii auctoritate deceptus in dubium videtur vocasse, num Cicero recte dixerit, coniurationem ante annum 63. nondum esse factam. Nam Plutarchum ex Sallustio ipso non hausisse, ex eo intelligitur, quod supra diximus. Idem Sallustius prorsus dissidens a Plutarcho non refert [confer c. 16, $_4$.: 24, $_2$.], quo tempore Catilina Sullanos sibi coniunxerit. Qua ex re elucet, Plutarchum ipso Sallustio usum non esse, id quod confirmatur eo, quod in capitibus posterioribus Plutarchi narratio a Sallustio plane differt.

Quominus autem Ciceronem auctorem Plutarchi in cap. 12. fuisse sumamus, id nos prohibet, quod vix credendum est, Ciceronem his verbis de C. Antonio collega usum esse „*καὶ κατειργάσατο τῇ χάριτι ταύτῃ τὸν Ἀντώνιον ὥσπερ ὑποκριτὴν ἔμμισθον αὑτῷ τὰ δεύτερα λέγειν ὑπὲρ τῆς πατρίδος*“ et quod, [conf. John. p. 748 ff. 755.], secundum Ciceronem ante annum 63. coniuratio nondum exstitit.

Scriptor in c. 12. falso rogationem de proscriptorum filiis ante leges agrarias ponit [confer in Pison. c. 2. § 4.]; sed hic error non

fontis Plutarchi [Livii] est, sed Plutarchi ipsius. In c. 13. Pl. refert, quanta vis et suavitas dicendi in Cicerone fuerit et exemplum eius rei affert, sed ita, ut Cicero ipse non auctor videatur fuisse. Quamvis apud Plutarchum [in Vit. Cic. c. 14.] idem ordo rerum ac temporum inveniatur, qui apud Ciceronem [confer pro Mur. § 49—52.], tamen facere non possum, quin existimem, hic neque e Ciceronis oratione pro Murena neque ex commentariis haustum esse [confer Schlieph. p. 24. Adnot.]. Cum enim Cicero pro Mur. § 50. narret, sese senatum convocasse, quod audiverit, Catilinam contra rem publicam agere et in concione domestica orationem seditiosam habuisse, ideoque comitia consularia in posterum diem esse dilata, Plutarchus non dicit, qua de causa comitia sint dilata. Deinde negarim, Plutarchi verba [c. 14.] „*ὁ δὲ πολλοὺς οἰόμενος εἶναι τοὺς πραγμάτων καινῶν ἐφιεμένους ἐν τῇ βουλῇ, καὶ ἅμα τοῖς συνωμόταις ἐνδεικνύμενος, [ἀπεκρίνατο τῷ Κικέρωνι μανικὴν ἀπόκρισιν]*“ Ciceronis esse. Tum verba, quæ Catilina apud Plutarchum, Ciceronis interpellatione commotus facit, aliquid a Cicerone [pro Mur. § 51] differunt. Postremo verba Plutarchi [c. 14.] „*μᾶλλον ὁ Κικέρων ἔδεισε*“ non ad Ciceronis auctoritatem videntur spectare. Praeterea verba de prodigiis ac miraculis et fulminum ictibus ac terræ motibus apud Ciceronem alio loco [in Cat. III. 18. 19. et de divin. I, c. 11. et 12.] commemorantur neque verba „*Αἱ δ᾽ ἀπ᾽ ἀνθρώπων μηνύσεις ἀληθεῖς μὲν ἦσαν, οὔπω δ᾽ εἰς ἔλεγχον ἀποχρῶσαι κατ᾽ ἀνδρὸς ἐνδόξου καὶ δυναμένου μέγα τοῦ Κατιλίνα.*“ apud Ciceronem inveniuntur, quamvis Ciceronis [pro Mur. § 51] argumentum fere idem sit. Recte igitur Dübi non ad Ciceronem neque ad Sallustium, sed tertium fontem, quem Livium nominamus, recurrit, dicens verba [vid. eius adnot. ad Plut. c. 14. in Vit. Cic.] ad Pompeium pertinentia [in c. 14. init.] „*καὶ παρεκάλουν εὐτολμότερον ἅπτεσθαι τῶν πραγμάτων, πρὶν ἐπανελθεῖν Πομπήϊον ἤδη λεγόμενον ὑποστρέφειν μ. τ. δ.*“ ad alium auctorem [Livium] esse referenda. Etiamsi Plutarchus in Vit. Crassi c. 13. referat, Ciceronem in commentariis de consulatu suo de litteris dixisse, quas Crassus noctu ad Ciceronem portasset, tamen concedere non possum, Plutarchum in Vit. Cic. c. 15., ubi de iisdem litteris loqui videtur, Ciceronis commentarios ante oculos habuisse. Haec sunt, quæ me impediant, quominus hoc sumam. Primum Pl. semper eundem fontem [scil. Livium] in superioribus secutus est, ut mihi videor demonstrasse; deinde dubitem, num Cicero in commentariis ita de Crasso dixerit, ut Plutarchus: „*ἀλλ᾽ ἧκεν εὐθὺς πρὸς τὸν Κικέρωνα πληγεὶς ὑπὸ τοῦ δεινοῦ καί τι τῆς αἰτίας ἀπολυόμενος, ἣν ἔσχε διὰ φι-*

λίαν τοῦ Κατιλίνα." Tum Plutarchus in Vit. Crassi c. 13. de unis litteris, nostro autem loco, in Vit. Cic. c. 15., de pluribus litteris loquitur. Praeterea putarim, futurum fuisse, ut, si Plutarchus e Ciceronis commentariis ipsis hausisset, ab eo commentarii Ciceronis, ut in Vit. Crassi c. 13. et in Vit. Caes. c. 8., citarentur. Huc accedit, quod non verisimile est, in sequentibus Plutarchum ex Ciceronis scriptis ipsis hausisse, ut postea videbimus. Itaque nobis nihil aliud relinquitur, nisi ut ponamus, fontem magnum et continuum (Livium) Plutarcho hic quoque ante oculos esse versatum. Sed dubium mihi non sit, quin Livius e Ciceronis commentariis ipsis hanc relationem hauserit. Cum non habeamus, cur de Plutarchi fide dubitemus, quoniam omnia paucis exceptis recte refert, ex eo sequitur, ut comitia consularia non multo ante d. XII. Kal. Nov. habita sint; nam c. 15. init. Plutarchus dicit „οὐ πολλῷ ὕστερον τούτων" (id est, post comitia consularia). Crassum nocte litteras ad Ciceronem tulisse et sequenti die S. C. U. esse factum, quod ante diem XII. Kal. Nov. factum esse constat (confer in Cat. I. § 4. 7. et Asconii Adnot. ad orat. Cicer. in Pisonem ed. Kiessl. et Schœll p. 5.). In c. 16. pauca cum Cicerone consentiunt: confer de Q. Metello ad famil. V. 2. 1. et in Cat. II. 26: de senatu in templum Jovis Statoris convocato in Cat. I. 33., II. 12., de subselliis vacuefactis in Cat. I. 16.: II. 12. De Plutarchi verbis „(ἀναστὰς ὁ Κικέρων προσέταξεν αὐτῷ τῆς πόλεως ἀπαλλάττεσθαι) δεῖν γὰρ αὐτοῦ μὲν λόγοις, ἐκείνου δ' ὅπλοις πολιτευομένου μέσον εἶναι τὸ τεῖχος" videas in Cat. I. 10. 32; in Cat. II. § 1. Neque tamen dico, Ciceronem praeter alios fontes Plutarchi fontem in iis fuisse, in quibus inter se consentiunt. Reliqua autem in hoc capite a Cicerone differunt. Cum enim Plutarchus, abhorrens ab aliis scriptoribus, Marcium et Cethegum duos sicarios nominet, nobis est quaerendum, unde hanc relationem Plutarchus sumpserit. Qui error Plutarcho non est tribuendus, ut videtur, ideo, quod scriptor bis eundem (scil. Cethegum) commemorat. Scriptoris verba „ἀρξάμενος δὲ λέγειν ἐθορυβεῖτο, καὶ τέλος ἀναστὰς ὁ Κικέρων προσέταξεν αὐτῷ τῆς πόλεας ἀπαλλάττεσθαι" a veritate non videntur aberrare: nam Sallustius narrat, senatores Catilinæ se defendenti obstrepuisse (confer Sall. c. 31. 8.) et Cicero (in Cat. I. 10. 11. 13. 20. 23: in Cat. II. 1.), se Catilinam ex urbe egredi iussisse. Sed Plutarchum et Diodorum (in fragm. I.) inter se non repugnare, ex hoc cognoscitur. Plutarchus enim refert, quid in senatu factum sit, antequam consul Catilinam urbem relinquere iuberet, cum Diodorus nobiscum communicet, quid hoc consulis

iussu dato Catilina egerit. Dubitarim autem, num hoc verum sit, Catilinam circiter 20 milia hominum circum se habuisse, priusquam Antonius contra Catilinam mitteretur; nam primum vix fieri potuit, ut Catilina paucis diebus post Romam relictam iam tantum exercitum colligeret; deinde autem Sallustio nixi contendimus (confer Sall. c. 56.), Catilinæ copias omnino non fuisse tam magnas. Magnam copiarum multitudinem Catilinæ a Livio, qui magnos numeros habere solet, commemoratam et a Plutarcho esse repetitam, existimem. Qui error Plutarchi nos commovet, ut recte de altero numero, quem in hoc capite commemoravit, dubitemus, num verus sit.

De Lentulo coniurationis duce Cicero (pro Sulla § 33. 53., pro Flacco § 97.) cum Plutarcho (in cap. 17.) consentit. Sed a Cicerone in eo differt, quod narrat, a vatibus Lentulum esse corruptum et ne temporis occasioni deesset, ut Catilina, esse monitum. Quæ relatio e Cicerone hausta esse non potest ideo, quod Cicero Catilinæ nusquam desidiam atque ignaviam exprobrat (confer potius in Cat. III. 17.).

Eandem autem rem Catilinæ apud Plut. in Vit. Catonis in c. 22. Lentulus et Cethegus crimini dant. Quam relationem esse falsam, certum est. Deinde negem, Ciceronem in libris suis narrasse, praecipue in commentariis suis, quomodo Lentulus sibi cognomen Suræ acquisiverit in causa de peculatu, et de altera causa Lentuli dixisse. Itaque sumam, Livium hic auctorem huius relationis fuisse.

Haud recte in c. 18. scriptor refert, Lentulum solum consilium caedis faciendæ atque urbis inflammandæ iniisse (confer Sall. c. 43.).

In hoc capite e Cicerone Plutarchum non hausisse, id verisimile reddit, quod pauca sunt, quæ a Cicerone non valde abhorreant. Maxime autem coniuratorum consilium a Cicerone, qui tantum unum consilium, quod in conventu apud Porcium Laecam facto initum est, nosse videatur, differt. Sed cum neque de hoc consilio neque de ceteris in hoc capite Plutarchus cum Sallustio congruat, nobis nihil aliud relinquitur nisi ut ad Livium ut fontem recurramus, praesertim cum iterum verba inveniantur, quæ ad Pompeium spectant: „φείδεσθαί τε μηδενὸς ἢ τῶν Πομπηΐου τέκνων· ταῦτα δ' ἐξαρπασαμένους ἔχειν ὑφ' αὑτοῖς καὶ φυλάττειν ὅμηρα τῶν πρὸς Πομπήϊον διαλύσεων." Ut supra (in c. 16.) numeri nobis suspecti de fide eius fuerunt, ita hic nobis in suspicionem numerus „centum" venit, quoniam in eo Sallustius (confer eius c. 43.) dissentit. Haud dubie autem Plutarchus falso refert, Ciceronem per conscios coniurationis et inquisitores suos colloquia et disceptationes inter coniuratos et

Allobroges comperisse; nam e Sallustio (cap. 41.) scimus, Q. Fabium Sangam cum Cicerone hanc rem communicasse. De Allobrogum coniunctione occulta cum Cicerone confer Cic. de dom. s. § 134. et Sall. c. 41. et c. 44. Huius capitis auctorem Livium fuisse existimem. Cap. 19. multas res novas nobiscum communicat, quæ neque a Cicerone neque a Sallustio enarrantur (confer indicia per Silanum et Pisonem facta; vestis mutationem, quam Lentulus coniuratis convictis fecit; sacrificium in Ciceronis domo a Vestalibus praeparatum). In toto autem hoc capite nihil e Cicerone sumptum esse, ex eo cognosci potest, quod Plutarchus his verbis de Cicerone usus est: „*Τήν τε γὰρ ἄκραν . . . . τιμωρίαν ἐξευλαβεῖτο καὶ κατώκνει δι' ἐπιείκειαν ἤθους ἅμα καὶ ὡς μὴ δοκοίη τῆς ἐξουσίας ἄγαν ἐμφορεῖσθαι καὶ πικρῶς ἐπεμβαίνειν ἀνδράσι . . .*“, quæ verba Cicero de se ipso non dixerit. Confer ad id ea, quæ Plutarchus cap. sequenti de Terentiæ auctoritate et vi apud Ciceronem et de criminationibus in Caesarem refert. Quæ Plutarchum e Cicerone non hausisse, nemo erit, qui infitietur. Quod ad fidem Plutarchi ad haec duo capita (c. 19. et 20.) spectantem attinet, fides ei attribuenda est, quamvis in nonnullis erret. Scriptor enim falso unam tantum noctem inter coniurationem apertam et supplicium de coniuratis captis factum interponit et eos, in quorum liberam custodiam dati erant, falso omnes praetores nominat (confer Sall. c. 47, $_4$.). Scriptor igitur, cum a Cicerone et Sallustio differat, ex eodem fonte hic quoque hausit. De Ciceronis aliorumque suspicione in Caesarem conferas Plut. in Vit. Caes. c. 7. et 8., in Vita Crass. c. 13., in Vit. Cat. c. 22. 23. 26. Ex his omnibus locis apparet, scriptorem, quem Plutarchus sequitur, de Caesaris suspicione quidem coniurationis dixisse, sed non de Caesaris culpa. Ille enim rem de Caesare in medio reliquit contra Ciceronis in Caesarem criminationes (confer Plut. Crass. c. 13.) his verbis (Plut. Caes. c. 7.) „*οἷς* (id est Lentulo et Cethego) *εἰ μὲν κρύφα παρεῖχέ τι θάρσους καὶ δυνάμεως ὁ Καῖσαρ, ἄδηλόν ἐστιν*“.

De Caesaris sententia, quam Plutarchus in Vit. Cic. c. 21., in Vit. Caes. c. 7., in Vit. Cat. c. 22. commemorat, iam supra (p. 20. 21.) diximus. Cum Plutarchus nobis Caesaris sententiam alio modo tradiderit atque Cicero, ex eo sequitur, ut is ex illo non hauserit (confer cum Plutarcho Cic. in Cat. IV, 7. 8.). Aliud testimonium, Ciceronis scripta Plutarcho ante oculos versata non esse, afferre videntur haec scriptoris verba: „*αὐτός τε γάρ* (scil. *Κικέρων*) *ἐνεχείρησεν εἰς ἑκάτερον* (id est *Καίσαρα καὶ Σιλανόν*), *τὰ μὲν τῇ προτέρᾳ, τὰ δὲ τῇ γνώμῃ Καίσαρος συνειπών, οἵ τε φίλοι πάντες*

οἰόμενοι τῷ Κικέρωνι συμφέρειν τὴν Καίσαρος γνώμην — ᾑροῦντο τὴν δευτέραν μᾶλλον γνώμην (Plut. Cic. c. 21.), quibus e verbis elucet, Ciceronem oratione Nonis Dec. a. 63. in senatu habita magis nocuisse quam profuisse; nam eius familiares amicique ea commoti sunt, ut metu, ne popularium impetus in Ciceronem Caesaris sententia spreta inciderent, in Caesaris sententiam discederent (confer Sueton. div. Jul. c. 14.). De Q. Catulo Caesaris sententiæ primo adversante Plutarchus duobus locis dicit (in Vit. Cic. c. 21. et Caesar. c. 8. — conf. Schlieph. p. 28. et Dübium ad Plut. Vit. Cic. c. 21. p. 861 ff.). In cap. igitur 21. Plutarchum Ciceronem secutum non esse, ex iis, quæ dicta sunt, cognoscatur. Huc accedit, quod Cicero non narravit, Catonem Caesarem in suspicionem vocasse (confer Plut. Cic. c. 21. — Caes. c. 8., Cat. c. 23.) et Caesarem, qui sententiæ eorum, qui confiscationem bonorum supplicio de coniuratis sumendo addi voluerunt, vehementer se opposuerat, ex senatu decedentem in magnum vitæ periculum ab equitum partibus venisse (confer Plut. Cic. c. 21. et Caes. c. 8: Sall. c. 49; Suet. div. Jul. c. 14.).

Quod ad c. 22. in Vit. Cic. pertinet, affirmare quidem non possum, e Cicerone id non haustum esse, sed tamen sumam, hoc quoque e Cicerone non sumptum esse ideo, quod in prioribus capitibus Livium solum auctorem narrationis fuisse demonstrasse mihi videor et quod in sequentibus (confer c. 23. et 24. maxime in initio) Cicero fons Plutarchi non videtur fuisse.

Iam reliquum est, ut de iis loquamur, quæ ille e Ciceronis ipsis commentariis de consulatu videtur hausisse (confer Dübium ad Plut. Cic. c. 21. et Thouret. in Studiis Lips. p. 315.). Etiamsi duobus locis (in Vit. Caes. c. 8. et Crassi c. 13.) Plutarchus Ciceronis commentarios de consulatu suo citet, tamen dubitem cum Schliephackio (p. 30), num ille hos commentarios ante oculos habuerit. Quominus id sumam, obstant haec. In c. 7. Vit. Caes. Plutarchus Cicerone usus esse non videtur, nam Ciceronem in commentariis de Caesare tam suspiciose non dixisse credo. Huc accedit, quod vix fieri potuit, ut, si Plutarchus e Cicerone hausisset, ille Caesaris sententiam falso redderet. Praeterea nescio an non Cicero in Caesaris favorem, tum, cum Caesar a L. Vettio Judice et Q. Curio inter Catilinæ socios nominatus est, dixerit, Caesarem sibi indicia ultro de coniuratione fecisse (confer Sueton. div. Jul. c. 17.). Postremo fieri non potuit, ut res tam dubia ac difficilis esset, utrum Caesar coniurationi faveret eiusque socius fuisset necne, et ut Caesar postea in Ciceronis amicitiam pervenire studeret, si Cicero adeo in commentariis suis Cae-

sarem in suspicionem coniurationis vocasset, ut Plutarchi fons fecit. Si autem sumamus, his verbis c. 8. Vit. Caes.: „*τοῦτο μὲν οὐκ οἶδα ὅπως ὁ Κικέρων, εἴπερ ἦν ἀληθές, ἐν τῷ περὶ τῆς ὑπατείας οὐκ ἔγραψεν*“ Plutarchum ad ipsos Ciceronis commentarios spectare, et ex his verbis elucere, Plutarcho Ciceronis commentarios ante oculos fuisse, non intelligam, quomodo evenerit, ut Plutarchus haec diceret neque tamen in c. 7. et 8. Vit. Caes. Ciceronis auctoritate niteretur.

In c. 13. Vit. Crassi res non alio modo se habet. Plutarchus enim narrat, Crassum quidem ab homine quodam inter coniuratos esse nominatum, sed neminem hoc credidisse. Cui sententiæ Ciceronem opponit dicentem, Caesarem et Crassum coniurationis fuisse socios. Sed hunc impugnat his verbis: „*ἀλλ' οὗτος μὲν ὁ λόγος* (in quo Cicero dixit, Caesarem Crassumque fuisse coniuratos) *ἐξεδόθη μετὰ τὴν ἀμφοῖν τελευτήν, ἐν δὲ τῷ Περὶ ὑπατείας ὁ Κικέρων νύκτωρ φησί τὸν Κράσσον ἀφικέσθαι πρὸς αὐτὸν ἐπιστολὴν κομίζοντα . . .*“ Quod nusquam in hoc capite invenitur, quod ad Ciceronis auctoritatem referri possit, ex eo intelligitur, alium auctorem Plutarchi fuisse, cui fortasse hoc iudicium de Ciceronis criminibus in Caesarem attribuendum erit. (confer iudicium de Caesare coniurationis socio, quod Plut. in Vit. Cic. c. 7. his verbis facit: „*οἷς εἰ μὲν κρύφα παρεῖχέ τι θάρσους καὶ δυνάμεως ὁ Καῖσαρ, ἄδηλόν ἐστιν.)*

In Vit. Cat. c. 22. nonnulla quoque inveniuntur, quæ cum ad propensam in optimates auctoris, quem Plutarchus sequitur, voluntatem tum ad ipsum auctorem spectant. Nonne haec Plutarchi verba: „*καὶ ταῖς περὶ Κατιλίναν πράξεσι μεγίσταις καὶ καλλίσταις γενομέναις τέλος ἐπέθηκεν* (scil. *Κάτων)*“ testimonia eius rei sunt, quam primam commemoravimus? Ciceronis scripta a Plutarcho excerpta esse non posse, nonnulla docent: primum magna Catonis laus, deinde Lentuli atque Cethegi in Catilinam criminationes, de quibus iam supra (p. 33) diximus, tum verba criminosa in C. Caesarem. Neque in c. 23. Cicero Plutarchi fons existimandus est: nam relatio de Catonis oratione tam plena criminum in Caesarem est, ut Cicero auctor fuisse non videatur. Cum certum sit, Sallustium fontem Plutarchi in his cap. non fuisse, recurrimus ad eum fontem continuum, quem Plutarchus saepe, ut demonstravimus, excerpsit. Huc quoque spectant verba Plutarchi in c. 22.: „*ἐξέπεσε τῆς πόλεως (Κατιλίνας)*“ et in Vit. Caes. c. 7. — *αὐτὸς μὲν ἐξέπεσε . . .*, (confer Liv. Perio. l. 102.: „Catilina urbe (ex) pulso.“ Unde Plutarchus relationem de Catonis oratione sumpserit, dici non potest. Sed putarim illum eam e Livio hausisse.

Verisimile est igitur, ut repetamus, quæ de fide auctoritateque Plutarchi dicta sunt, Plutarchum unum tantum fontem, Livium, secutum esse. Quod ex eo sequitur, quod demonstrasse mihi videor, Plutarchum e Cicerone atque Sallustio non hausisse, sed fontem eius, Livium. Praeterea studium in optimates propensum et criminationes crebræ in Caesarem ad Livium referenda videntur esse. Huc accedit, quod Plutarchus bis (in Vit. Caes. c. 47. et 53.) Livium fontem nominavit. Neque enim est negandum, Plutarchum paucis rebus exceptis fide dignum esse. Itaque facere non possum, quin Schliephackio dicenti (p. 29. 30.), Livium summum fontem Plutarchi fuisse, ita assentiar ut addam, unum illum fontem fuisse.

F. Suetonius.

Suetonius de coniuratione priore in vita divi Julii capite nono, de rebus a coniurationis prioris temporibus usque ad coniurationem Catilinariam gestis in c. 9—14., de ipsa coniuratione et de eius exitu atque eventu in c. 14—18. agit. Iam satis de priore coniuratione Johnius (p. 722. et 723.) et Dübi (in diss. p. 11.) disseruerunt. Primum nos offendit id, quod S. Cn. Pisonem inter coniuratos a. 66. non nominat, (in c. 9. init.), cum (in eodem capite paulo postea) narret, „Cn. Pisoni ob suspicionem urbanæ coniurationis Hispaniam provinciam ultro extra ordinem datam esse.“ Haud accurate S. dicit Pisonis provinciam Hispaniam fuisse, nam Piso in Hispaniam citeriorem missus est (conf. Sall. c. 19, 1.). De conspiratione, quam a Caesare et Pisone contra rem publicam esse factam, Curio et M. Actorius Naso auctores sunt, ab aliis quidem scriptoribus parum certiores facti sumus, sed ea relatio a vero abhorrere non videtur. (vid. Ascon. ed. Kiessling et Schœll p. 74. et 82.). De Caesaris consilio Aegypti provinciæ extra ordinem occupandæ, quod Suet. c. 11. commemorat, Cicero quoque in orat. II. de leg. agr. § 44 dicit. Neque a veritate abhorret id, quod Suetonius (c. 12.) narrat, a Caesare T. Attium Labienum adiutum esse contra C. Rabirium, perduellionis reum (confer Dion. Cass. 37, 26. et 27.). Sed parum diligenter S. dicit, aliquot ante annos L. Saturninum tribunum pl. fuisse (confer Cic. in Pis. § 4. et Dio. Cass. 37, 26.). De Caesaris Pontificatus maximi petitione eiusque eventu, fere idem Plut. in Vit. Cic. c. 7. refert (confer Sall. c. 49.). Non est autem negandum, Suetonium non recte referre dicentem, Dec. Junium Silanum tantum sententiam suam aliter esse interpretatum, non mutasse (c. 14.), cum sciamus,

illum sententiam suam non solum interpretatum esse, sed etiam mutasse (conf. Sall. c. 50.; Plut. Cic. c. 21., Cato. c. 22. 23. et ea, quæ supra p. 20. diximus.). Quod pertinet ad Caesaris minas in eos, qui sententias severiores dixerunt, in eo Suet. (c. 14.) consentit cum Cicerone (in Cat. IV, 9.) et cum Plut. (Cat. c. 23.). At contra in Suet. relatione de Caesaris periculo (c. 14.) nonnulla sunt, quæ vituperatione digna existimentur. Primum verba Suetonii „ac ne sic quidem impedire rem destitit (sc. Caesar), quoad manus equitum romanorum . . . necem comminata est“, a veritate aliquid abhorrent. Nam e Plutarcho (in Vit. Caes. c. 8.) scimus, Caesarem tum demum in vitæ periculum venisse, cum Catonis sententia iam vicisset. Deinde Suetonio vitio tribuendum est, quod narrat, Caesarem sedentem paucos complexu togaque obiecta servasse, cum Sallustius (c. 49.) et Plutarchus (in Vit. Caes. c. 8.) recte referant, Caesari ex senatu egredienti equites gladiis esse minatos. Quibus e causis facere non possum, quin de relatione Suetonii „paucos Caesarem servasse“ dubitem (at contra vid. Plut. Caes. c. 8.). Sed de ipso Caesaris periculo vitæ haud scio an non dubitari possit, quamvis Livius, ut supra diximus (p. 36.) hanc relationem esse falsam existimet. Prorsus tum Suetonius, qui dicit. (c. 14. extr.) Caesarem in reliquum anni 63. tempus non iam in senatum venisse, est refutandus (confer Plut. Caes. c. 8. et Cat. c. 26.). Suetonium autem recte de criminibus in Caesarem, quæ a L. Vettio et a Curio allata sunt, dixisse, Dio Cass. 47, 41 confirmare videtur. Quamquam, ut in fontes inquiram, quos S. secutus sit, Suetonius auctores relationis suæ (Tanusium Geminum, M. Bibulum, C. Curionem, M. Actorium Nasonem) nominat, qui Caesaris amici non erant (confer John. p. 722.), affert, tamen, quominus cum Thouretio (p. 321. in Stud. Lips.) sumam, c. 17. scriptorem eosdem auctores esse secutum, prohibeor, quod, ut John. p. 722. recte vidit, Suet. in hoc capite non dicit, utrum Caesarem coniurationis Catilinariæ socium fuisse putet necne. Huc accedit, quod vix fieri potuit, ut iidem auctores, quos S. c. 9. citat, non dicerent, Caesarem postremis anni 63. diebus in maximam coniurationis suspicionem venisse et ob eam suspicionem equites Caesari esse minitatos. Neque enim putare possumus, illos auctores de hac suspicione non audisse vel hanc posteritati tradere noluisse. Itaque existimem, Suetonio praeter illos alium fontem ante oculos fuisse; sed quod nomen huic fonti sit dandum, ignoramus. De fide autem Suetonii tantum dicimus, illum quidem in cumpluribus rebus falsa narrasse, sed tamen in summis rebus ei fidem

non esse abrogandam, praesertim cum multa ab aliis scriptoribus eodem modo referantur.

G. Julius Florus.

Julii Flori epitomæ de T. Livio bellorum omnium annorum DCC libri duo continent nonnulla de Catilinæ coniuratione.

In Art. XII. libri II. agit de bello Catilinæ et locis aliis (p. 18. 21. 64.) de ipsa coniuratione. Cum Jul. Florus Livii epitomator nominetur, tamen videamus, num recte hoc nomen ei tribuendum sit, quod historici recentes arbitrantur Flori narrationem de coniuratione Catilinaria nihil aliud esse nisi Sallustii summarium (confer John. p. 756. et Dübium p. 866. in Adnot. ad bell. Cat. Jul. Flori.). Nobis igitur examinandum est, utrum recte omnia, quæ Florus affert, ad Sallustium sint referenda necne. Florus autem, ut videbimus, propria a Sallustio abhorrentia habet itaque e Sallustio hausisse omnia non potest. Cuius rei testimonia sunt haec scriptoris verba: „diripere aerarium“ (in bello Catilinæ) et „direptio aerarii“ (p. 21.), quæ apud Sallustium nusquam inveniuntur. Deinde a Livii Periochis haec Flori verba non valde dissentiunt: „actum erat de pulcherrimo imperio, nisi illa coniuratio in Ciceronem et Antonium consules incidisset, quorum alter industria rem patefecit, alter manu oppressit (confer Livii Perioch., lib. 102.). Neque enim legimus, Sallustium Ciceronis meritum sic amplificasse et ipsum Antonium laudasse. Huc accedit, quod Florus (in bell. Cat.) dicit, Ciceronis orationem in Catilinam effecisse, ut Catilina hostis publicus evaderet, cum Sallustius in ea re differens ab illo referat, Catilinam diu meditatum, quod vidisset, sibi in urbe nihil processurum esse, ultro urbem reliquisse (confer Sall. c. 32.). Quid? Num Sallustius tradidit, „Lentulum ad praestitutum a Catilina diem urbe tota viros, faces, tela disposuisse“? Quid sibi velit scriptor dicens, alteram proditionem a Volturcio esse factam, non intelligo. Quod esse falsum puto, nam ab aliis scriptoribus id valde dissentit. Praeterea Florus complures errores commisit. Falso enim refert (p. 21.) Catilinam in Apulia ab Antonio esse debellatum. Alius lapsus est in nomine „Longrini“, cum apud Sallustium (c. 17.,1.) nomen illud „L. Cassius Longinus“ recte referatur. Tum scriptor iisdem verbis eodem loco falso, quo Sallustius c. 31, 9. (— incendium meum ruina restinguam —) utitur. Quæ res testatur, Livium iam e Sallustio hausisse (confer p. 29. et 30. id, quod de Plutarchi fonte

diximus). Haud accurate scriptor dicit, omnes senatores Catonis sententiam esse secutos (confer Sall. c. 53, $_1$.). Quamvis in reliquis Florus a Sallustio non valde differat et in fine „belli Catilinæ“ eadem verba, quæ Sallustius, (c. 60, $_1$. et 60, $_4$.) faciat, tamen non contenderim, Florum Sallustium excerpsisse, sed eius auctorem, Livium, e Sallustio hausisse putarim, nam ita optime apparet, quomodo factum sit, ut Florus modo cum Sallustio congrueret modo ab eo dissentiret. Pauca autem sunt, quæ Florus copiosius quam ii scriptores, de quibus disseruimus et disseremus, afferat (confer Flor. p. 18. de Cornelii Cethegi in fratrem sententia.). De Flori fide tantum dicendum est, illum erroribus nonnullis praetermissis, quos non eius auctori, sed ei ipsi tribuere debemus (confer relationem de „altera proditione Volturcii.“ de Catilina in Apulia debellato, de falso nomine „Longrini“), tanti esse aestimandum, quanti eius fontem. Itaque ut repetamus, quæ iam de Floro diximus (confer Teuffel., R. L. de J. Floro p. 719 § 325.), non dubitamus, quin Florus recte Livii epitomator dicatur.

H. Appianus.

Unde Appianus in bello civili II, 2—7, ubi de coniuratione Catilinaria loquitur, hauserit, de ea re historici recentiores non consentiunt. Dübi enim (p. 870. in Adnot. ad Appian.) existimat, in prima parte (c. 2—5.) Appianum e Sallustio solo, in altera parte (c. 6. et 7.) e Sallustio, Plutarcho, traditione populari hausisse, cui Wiedemannus (in Philologo t. XXI, p. 473 ff.) assensus est, popularem traditionem excipiens, Schliephackius autem (p. 21. et 22.) sumit, ab Appiano maxime Sallustium esse excerptum, sed, ubicunque Plutarchus et Appianus inter se congruant, utrumque scriptorem fonte communi esse usum.

Cap. 2. Appianus dicit, Catilinam Sullæ socium ac familiarem fuisse, his verbis usus: „*Σύλλα φίλος τε καὶ στασιώτης καὶ ζηλώτης μάλιστα γεγονώς.*“ Quæ verba apud Sallustium non inveniuntur, sed a veritate non abhorrent (confer Plut. Cic. c. 10. et Sull. c. 32.). Verba autem scriptoris „*καὶ θεραπευόμενος ἔτι πρὸς δυνατῶν ἀνδρῶν τε καὶ γυναικῶν ἐς ὑπατείαν παρήγγελεν* . .“ non magis quam illa ad Sallustii auctoritatem sunt referenda. Neque negem, Catilinæ opprobria et maledicta in Ciceronem e Sallustio sumpta non esse, quamvis Dübi (p. 867) Wiedemannus (in Philolog, XXI, p. 473. ff. Schliephackius (p. 5.) ea e Sallustio hausta esse contendant.

Praeterea Appianus narrat, coniurationem post comitia consularia anno 64. habita ortam esse, Sallustii auctoritate neglecta (App. II, 2.). Quæ momenta nos impediunt, quominus tres illos viros doctos sequentes sumamus, omnia, quæ in hoc capite Appiani leguntur, ad Sallustium esse referenda, quamquam hic nonnulla e Sallustio hausta esse facile concedimus. Verba tertii capitis: „*Κατιλίνας δ᾽οὐδενὸς μέν πω θαῤῥοῦντος αὐτοῦ λαβέσθαι διὰ τὴν ἔτι τοῦ ἀκριβοῦς ἀγνωσίαν, δεδιὼς δ᾽ὅμως καὶ τὸ χρόνιον ἡγούμενος ὕποπτον*“ a Sallustii narratione (in c. 32.) prorsus dissident. Recte igitur hic, ut in praecedentibus verbis, quæ, ut id addamus, ab ipso Cicerone (ad famil. V, 2. 1; pro Sestio § 8. 11. 12.) confirmantur, scriptor refert.

Cap. 4. autem nihil, quod ad alium auctorem spectet, invenitur.

Quamquam c. 5. maximam partem e Sallustio haustum videtur esse, tamen vix dubitandum erit, quin nonnulla aliunde profecta sint.

Primum verba scriptoris „*ὁ δὲ Κικέρων ἕκαστον ἐς τὰς οἰκίας τῶν στρατηγῶν διαθεὶς ἐπανῆλθεν*“ a Sallustio dissentiunt, qui c. 47. dicit eos, in quorum custodiam liberam coniurati dati sunt, neque commemorat, eos praetores sive magistratus fuisse. Praeterea Sallustius eodem capite refert, senatum decrevisse, ut captivi in liberis custodiis haberentur. Minus autem illa verba ab his Plutarchi verbis (in Vit. Cic. c. 19.): „*οὗτος μὲν οὖν καὶ οἱ σὺν αὐτῷ παρεδόθησαν εἰς ἄδεσμον φυλακὴν τοῖς στρατηγοῖς*“ differunt hoc uno excepto, quod Plutarchus non commemorat, Ciceronem coniuratos in liberam custodiam dedisse. Deinde sententia Neronis apud Appianum ita discrepat a Sallustio (confer c. 50, $_4$), ut ille ex hoc hausisse non videatur (aliter sentiunt de ea re Dübi ad c. 5. App., Wiedemannus in Phil. XXI, p. 478. Not. 7.; Schliephackius p. 20.). De veritate autem huius sententiæ iam supra p. 20. et 21. satis diximus.

Cum igitur in c. 2—5. A. maxime Sallustium, in paucis autem alium auctorem secutus sit, in c. 6. et 7. non e Sallustio, sed ex alio fonte, quem Dübi et Wiedemannus Plutarchum nominant, hausit. Sed videamus, num in c. 6. et 7. omnia ad Plutarchi auctoritatem referri possint. Verba enim Appiani „*ὁ Κικέρων δεδιὼς ἀμφὶ τῇ νυκτὶ προσιούσῃ, μὴ τὸ συνεγνωκὸς τοῖς ἀνδράσι πλῆθος αἰωρούμενον ἔτι κατ᾽ ἀγορὰν καὶ δεδιὸς περί τε σφῶν αὐτῶν καὶ περὶ ἐκείνων, ἐργάσηταί τι ἄτοπον, ἔπεισεν ὡς αὐτοφώρων ἄνευ κρίσεως καταγνῶναι*“ (App. c. 6) e Plutarcho esse sumpta, negarim, quod Plutarchus non refert loco illo, ubi de Ciceronis oratione (conf. Vit.

Cic. c. 21.) loquitur, Ciceronem metu commotum, ne sequenti nocte a coniurationis sociis quid in rem publicam fieret, senatui persuasisse, ut statim captivos damnaret. Haud scio an id, quod A. Catonis et Ciceronis sententias falso commiscuit, Appiani negligentiæ et levitati, de qua saepius Dübi, Wiedemannus, Schliephackius recte meminerunt, vitio sit tribuendum. Verum autem est, Ciceronem metuentem, ne quid in urbe a coniuratis fieret, de periculo in mora esse locutum, ut ex ea oratione, quam postea Cicero scriptam edidit, cognoscere possumus (confer in Cat. IV, § 6. 24.), etiamsi id Plutarcho concedendum sit, Ciceronis orationem parum fortem atque acrem fuisse, ut magis noceret quam prodesset (confer p. 34. et 35.). Praeterea autem nemo erit, qui dubitet, quin Appiani verba: (in c. 6. extr.) „*οἱ δὲ διελύοντο* (scil. coniurationis socii) *πεφρικότες τε καὶ περὶ σφῶν ἀγαπῶντες ὡς διαλαθόντες*“ non e Plutarcho sumpta sint.

Verba in c. 7. „*Κατιλίναν δὲ ἐς δισμυρίους τε ἀγείραντα*“ historici recentiores e Plutarcho (conf. Cic. Vit. c. 16. extr.) sumpta esse ponunt, sed de eo dubitarim, quod in c. 5. extr. et c. 6. nonnulla inveniuntur, quæ ad Plutarchum referri non possint nisi per vim. Ob eandem quoque causam cum Dübio et Wiedemanno sumere non possum, Caesaris sententiam, quæ a Plutarcho (confer Caes. c. 7. et Cic. c. 21.) non differt, e Plutarcho haustam esse (vid. App. II, 6.). Quamvis Dübi et Wiedemannus (p. 478.) dicant, de honoribus, quos senatus Ciceroni decrevit, Appianum (c. 7.) a Plutarcho (conf. Vit. Cic. c. 22. et 23.) non differre, tamen nego, verba Appiani „*χάριτές τε ἦσαν αὐτῷ* (scil. *Κικέρωνι*) *παρὰ τὴν ἐκκλησίαν καὶ εὐφημίαι ποικίλαι*“ e Plutarcho sumpta esse posse.

In prima c. 7. parte, quæ de Catilinæ exitio agit, Sallustium ab Appiano esse excerptum, Dübi et Schliephackius (p. 21) mihi videntur recte dixisse.

Erratis autem, quæ multa in Appiano inesse illi viri, quos supra saepius nominavi, docuerunt, hoc addiderim: Appianus enim, quem Wiedemannus et ceteri recte vituperarunt, quod res, quæ per tres dies factæ sunt, uno die factas esse dicit, falso refert, (c. 6. extr.), Ciceronem senatu nondum dimisso coniuratos in carcerem deduxisse eosque morientes vidisse, cum Plutarchus his verbis a veritate non abhorrens utatur (confer Cic. c. 22. init.) „*ἐχώρει δὲ μετὰ τῆς βουλῆς ἐπὶ τοὺς ἄνδρας*“ (id est postquam Catonis sententia contrarias vicit.)

Itaque cum cognoverimus, Appianum non solum e Sallustio,

sed etiam ex alio fonte hausisse ideo, quod A. saepe cum Plutarcho, quem Livio usum esse supra demonstrare conati sumus (confer p. 28—37.), consentit neque ex eo hausit, quamvis Wiedemanno (p. 478.) concedere debeamus, eisdem verbis utrumque scriptorem interdum usum esse, ex eo sequitur, ut Appiani fides multis erratis quæ ei vitio tribuenda sunt, omissis, in fontium suorum fide sit posita. Nova autem A. non affert nisi id, quod narrat, anno 64. Catilinam in petitione consulatus a viris potentibus esse adiutum et Ciceronem periculo in mora coactum esse apud senatores verba facere contra Caesaris sententiam.

J. Cassius Dio.

De priore coniuratione C. D. loquitur in l. 36. c. 44; de rebus, quæ Catilinæ coniurationem antecesserunt, l. 37. c. 10; 25—28.; de ipsa coniuratione Catilinaria 37, 29—42.

Sed antequam accuratius cognoscamus et examinemus, quæ a Cassio Dione nobis prodita sunt, nobis ii sunt nominandi, qui proxime de Dionis fide scripserunt: Dübi (Jahrb. d. class. Philol. 113. Bd. Jahrg. 1876 p. 871—77.), Schliephackius (Progr. d. Realsch.; zu Goslar 1877 p. 31—37.), G. Thouret (Studia Lips. I. T. p. 306—24. 1878.)

Cum autem Dübi consentiens cum Wilmannsio (confer Dübi. p. 877.) sumat, Dionem e Cicerone, Sallustio, Livio, Plutarcho, Appiano, id est, ex omnibus auctoribus, qui ante eum de eadem re egerunt, hausisse, Schliephackius (p. 31. 32. 33.) putat, ab illo maxime Livium, minus Sallustium et Appianum esse excerptum et Thouret. (p. 310. 311. 318.), non Livium, sed Ciceronem (imprimis eius commentarios) illum esse secutum.

Primum paucis de priore coniuratione dicemus, quam Dio, ut supra iam dictum est, l. 36, c. 44 commemorat. Sallustium autem huius Dionis narrationis auctorem non fuisse, recte mihi videtur Schliephackius (p. 31) demonstrasse. Ad eas causas, quas Schlieph. ad sententiam suam confirmandam affert, has addiderim: Apud Dionem neque Crassus nec quisquam alius coniurationis socius secretus commemoratur, praeterea Dio non refert, Pisonem a senatu metu Pompei et Crasso auctore in Hispaniam esse dimissum. Putarim igitur, Livium Dionis fontem hic fuisse, praesertim cum Livii Periochæ (l. 102.) idem, quod Dio, referant, P. Autronium Paetum et Cornelium Sullam coniurationis principes fuisse. Ciceronem autem

huius narrationis auctorem haberi ideo verisimile non est, quod apud Dionem Pompei nomen celatur, id quod Cicero in Epistola ad Pompeium, ubi Sullam inter coniuratos nominat (confer Cic. pro Sulla § 67.), fecisse non videtur.

L. 37. c. 10. D. recte narrat, Catilinam Figulo et Caesare consulibus apud iudicem de sicariis atque veneficis esse accusatum, sed absolutum (confer Ascon. p. 81. ed. Kiessling et Schœll.). Dionis autem verba „*ἐπεχείρησε τήν τε πολιτείαν νεωτερίζειν καὶ τοὺς ξυμμάχους ἐπ' αὐτῇ συνιστάς*“ non dissident a verbis Plutarchi (in Vit. Caes. c. 7.) „*Ὁ γὰρ δὴ Κατιλίνας οὐ μόνον τὴν πολιτείαν μεταβαλεῖν ἀλλ' ὅλην ἀνελεῖν τὴν ἡγεμονίαν*“ (confer Plut. Cat. c. 22.: „*Κατιλίνας — μεταβολὴν ἐπάγων τοῖς Ῥωμαίων πράγμασι καὶ στάσεις ὁμοῦ καὶ πολέμους ταράττων*“), id est, ad Livium auctorem spectare videntur (confer p. 35. 36.)

Cap. 26—28. (l. 37.) narrat scriptor accuratius de C. Rabirii perduellionis rei causa. Neque enim sumam, in his cap. Dionem e Ciceronis commentario de consulatu hausisse, ideo, quod hic de Ciceronis studio in Rabirium propenso eiusque labore in Rabirii favorem nihil dicitur. Huc accedit, quod in cap. antecedentibus in belli Mithridatici enarratione scriptorem non Ciceronem, sed alium auctorem (Livium) esse secutum verisimillimum est. Itaque haec coniectura omnino non est repudianda, Dionem eundem fontem, e quo maximam partem hausit, in sequentibus secutum esse. Sed videamus, num res ita se habeat.

c. 29. consentit in summa cum Plut. (Vit. Cic. c. 14.), sed nonnulla, quæ Plutarchus silentio praeteriit, tradit (confer Dionis verba de Cicerone legis Tulliæ de ambitu auctore et de malo successu criminationum contra Catilinam in senatu a Cicerone factarum). Cum autem uterque inter se non repugnet, sed saepius in ipsis verbis congruat (confer Plutarchi in Vit. Cic. c. 14. verba: „*τοῦ δὲ θώρακος ἐπιτηδὲς ὑπέφαινέ τι παραλύσας ἐκ τῶν ὤμων τοῦ χιτῶνος*“ et „*οἱ δ' ἠγανάκτουν καὶ συνεστρέφοντο περὶ αὐτόν*“ cum Dionis verbis „*θώρακα ὑπὸ μὲν τὴν ἐσθῆτα παραφαίνων δὲ αὐτὸν ἐξεπιτηδές ἐνεδύσατο*“ et „*ὅτε δῆμος δεινῶς ἠγανάκτησε*“) neque alter ex altero hauserit, nihil aliud nobis relinquitur, nisi ut putemus, utrumque ex eodem fonte hausisse, id est, e Livio (confer p. 31. ubi de Livio, Plutarchi fonte, in c. 14. Ciceron. Vit. diximus) in secunda huius capitis parte (vid. Dionis verba: „*ἐπειδή τε οὐκ ἔπεισε σφᾶς ψηφίσασθαι τι ὧν ἠξίου . . . . . ἐφοβήθη ἅτε καὶ προςπαρωξυγκὼς τὸν Κατιλίναν*“, quæ non ad Ciceronem referantur, sicut verba „*τῆς τε ἑαυτοῦ ἀσφαλείας καὶ τῆς ἐκείνων διαβολῆς ἕνεκα*). Sed in eo D. non Livium, sed Ciceronem sequi videtur, quod c. 29. dilucide dicit, coniurationem ante annum 64. nondum factam esse (scil. in prima capitis parte).

Sallustium autem sequens Dio in c. 30. (Sall. c. 24, 3.) coniuratorum consilium, quod tantum in Ciceronem senatusque principes, antequam Catilina iterum repulsam pateretur, initum est, ita auxit, ut diceret, tum iam id in omnem rem publicam factum esse. Sed Dioni vitio est dandum, quod post comitia consularia a. 63. Catilinam pollicentem cum tabulas novas tum agrorum distributionem facit. Ad Livium verba, quæ D. de sacrificio a coniuratis oblato facit, spectare videntur ideo, quod de hoc sacrificio ipse Cicero secundum Sallustium (confer eius c. 22, 3.) scripsisse non videtur. Huc accedit, quod vix fieri potuit, ut Cicero in libris suis Antonium collegam suum inter coniuratos nominaret, id quod Dio fecit, fortasse Livium in hoc quoque secutus.

c. 31. commemorat litteras sine nomine scriptas et Crasso aliisque datas. De ceteris Dio accuratius et copiosius refert quam Plutarchus (vid. Vit. Cic. c. 15. extr.) ita, ut non negandum sit, Ciceronem (fortasse eius commentarios) auctorem hic haberi posse aeque ac Livium (quem Schlieph. p. 34. nominat). C. 32. ad eundem auctorem referendum est, ad quem caput prius. Sed in ea re D. errat, quod narrat, Catilinam se ipsum apud Metellum praetorem in liberam custodiam dedisse; nam Cicero (in Cat. I, 19.) dilucide dicit, Catilinam quidem ad Q. Metellum praetorem venisse apud eum habitatum, sed ab eo repudiatum apud M. Marcellum habitasse (aliter sentit Schlieph. p. 35). Itaque putamus, Dionem Ciceronis commentarios leviter ac negligenter hic excerpsisse. Ad Ciceronem autem auctorem huius capitis id spectare videtur, quod Cicero, ut Dio, nomina sicariorum silentio praetermisit (confer Ciceronis or. in Cat. I, 9. 10.). Ad eundem auctorem haec Dionis verba recurrant: „*ὁ γὰρ Κικέρων συχνούς τε ἐκ τῶν συνηγορημάτων, τοὺς μὲν οἰκειούμενος, τοὺς δὲ ἐκφοβῶν* etc“ (c. 33.); nam eodem silentio de indicibus suis Cicero utitur (in Cat. I, 8. 10.; pro Sulla § 14).

Quamquam Dionis verba c. 33.: „*μεταστῆναι ἡ γερουσία τὸν Κατιλίναν ἐψηφίσατο*“ non plane ad veritatem accedunt (confer Cic. in Cat. I, 20. 32.; in Pis. § 4.; in Cat. III, § 3.; Plut. Cic. c. 16.), tamen dici potest, senatum Catilinam ex urbe egredi iussisse, quod senatus, cum passus est, a consule Catilinam urbem relinquere iussum esse, probavit (confer Cic. in Cat. I, 20. 21. et Diod. Sic. l. XL, 5;

tom. III. ed. Bekk. p. 196.). Putem igitur, fieri potuisse, ut Cicero ipse in commentariis rem ita enarraret, quo doceret, senatum et semet ipsum idem voluisse, id est, Catilinam ex urbe expellere. Sed in sequentibus D. errores maiores commisit, qui ei ipsi neque cuiquam alii fonti vitio tribui debent (confer de iis Dübium ad c. 33. et Schlieph. p. 35. et 36.). Ciceronem auctorem huius capitis fuisse, negari non potest, hoc uno excepto, quod Cicero de Antonio non ita dixerit, ut Dio.

Verba c. 34. init.: *„καὶ ἐν καιρῷ γε εἰς τὰ μάλιστα τοῖς Ῥωμαίοις κατέμεινε“* ad neminem alium auctorem nisi Dionem referenda sunt, nam quamvis haec verba Ciceronis meritum non detrectent, sed potius amplificent, tamen dubitem, num ipse Cicero consulto rem falso enarrarit. An quisquam opinioni illi se dedat, Ciceronem, quo meritum suum summo splendore afficeret, haec enarrare potuisse? Sed tamen facere non possum, quin sumam (confer Dübi. ad c. 34. et Thouret. p. 315. in Stud. Lips. I. tom.), Ciceronis auctoritatem in hoc cap. Dionem esse secutum, quod verisimillimum est, verba de prodigiis ac miraculis e Ciceronis commentariis, quos in cap. antecedentibus D. excerpsisse videtur, hausta esse, nam cum Cicerone in Cat. III, 19—21. consentiunt (aliter sentit Schlieph. p. 31). Cap. 35. Dionem e Sallustio hausisse cum relationem de Crassi accusatione tum de conatu libertorum ac servorum Lentuli ceterorumque captivorum liberandorum causa facto, pro certo habeam (confer Dübi. p. 875. et Schlieph. p. 36.). Quamvis Dio narret (conf. Schlieph. p. 36.), unam tantum noctem inter eum diem curiæ, quo coniurati in liberam custodiam dati, et eum, quo morte affecti sunt, interfuisse, tamen de rebus, quas secunda nocte (id est nocte, quæ diem pridie Nonas Decemb. secuta est) factas esse scimus (vid. Sallust. c. 48. 50.) refert, qua ex re sequitur, ut Dioni, non eius auctori, hoc tribuendum sit vitio. Plutarchus quidem (in Vit. Cic. c. 19. 20.) accuratius et copiosius de sacrificio in Ciceronis domo facto dicit neque tamen cum Schliephackio (p. 36.) sumam, Dioni eundem fontem, quem Plutarcho, (id est Livium) ante oculos esse versatum, ideo, quod in hoc et sequenti capite Ciceronem fontem Dionis fuisse verisimile est. Cuius rei testimonium est Caesaris sententia (c. 36. init.), quæ prorsus cum Cicerone (in Cat. IV, § 7. et 8.) consentit. Sed redeamus ad finem capitis 35. A Cicerone Dionis relatio de Capitolio et foro nocte ante Non. Dec. ab armatis occupatis confirmatur (vid. Cic. Philipp. II. 7. 16. et de orat. post red. in sen. hab. § 12.), item de conscriptione militum. Unde Dio falso

sumpserit, Ciceronem metu ac terrore senatum commovisse atque persuasisse, ut coniuratos supplicio afficeret, certo dici non potest. Haud scio an Dio ipse Ciceronis orationem IV. in Cat. legerit et legendo hanc falsam opinionem sibi finxerit. Sed fieri quoque potest, ut Dio apud fontem suum (Livium?) invenerit rumores malevolos de Cicerone, quos ad historiam coniurationis enarrandam adhibuit. Quos rumores percrebescere potuisse, eius rei testes sunt loci apud Ciceronem (conf. Cic. Philipp. II, § 18—20.; et de or. post red. in s. h. § 12.). Nos autem rem in medio relinquimus, quamvis id, quod c. 36. D. narrat, Catonem demum sententia sua effecisse, ut morte coniurati afficerentur, cum verbis antecedentibus *„αὐτὸς δὲ (scil. Κικέρων) . . . . ἔπεισε θάνατον τῶν συνειλημμένων καταγνῶναι“* consentire non videatur itaque magis Dioni quam eius fonti error ille vitio dari possit. Utique autem D. ideo est vituperandus, quod commemorat, supplicationem esse decretam, cum Catonis sententia vicisset (confer Cic. in Cat. III, 15; IV, 10.). Verbis Dionis quæ in parenthesi posuit *„ὃ μὴ πώποτε ἐπὶ τοιούτῳ τινὶ ἐγεγόνει“* contineri videtur Ciceronis vituperatio. Recte D. haud scio an narret: *„καὶ οἱ ἄλλοι οἱ μηνυθέντες ἐζητοῦντο“* (confer in Cat. III, 14.: Sall. c. 50,$_{4}$; ubi de iis coniuratis dicitur, qui damnati quidem erant, sed effugerant.). Verbis (c. 36.): *„καί τινες καὶ ἐπὶ τῷ μελλῆσαι συμφρονήσειν αὐτοῖς ὑποπτευθέντες, εὐθύνοντο“*, nisi fallor, Caesarem D. spectare videtur (confer Plut. Caes. c. 8., Cat. c. 26.). De ceteris (praeter Fulvium), qui filios necarunt, relatio forsitan valde a veritate abhorreat. Itaque ponam, eam ad Livium esse referendam; nam vix Cicero haec enarrasse putari potest. In sequentibus autem capitibus e Cicerone Dio non iam videtur hausisse, ideo, quod c. 37. narrat, quibus modis Caesar usus sit, ut favorem populi nancisceretur, et c. 38., Ciceronem semper se ipsum praedicasse eoque, quamquam iam antea in populi invidiam propter supplicium de coniuratis sumptum venisset, maiore invidia flagrasse. Et c. 39. Antonium, Ciceronis collegam, ita depinxit, ut vix fieri posset, ut Cicero ipse auctor eorum verborum, quibus Dio de Antonio usus est, esset, cum saepius Antonium in coniurationis suspicionem vocarit (confer pro Sestio § 8. 12. et pro Flacco § 95.). Quod autem Plutarchus de Caesare (in Vit. Caes. c. 8., Cato. c. 23. 26., Cic. c. 20.) et de Cicerone (in Vit. Cic. c. 24. init.) libere dixit aeque ac Dio, conicere licet, illos scriptores in ea re ex fonte communi, id est, e Livio hausisse. De similitudine inter Sallustium (c. 56. 57. 61.) et Dionem (c. 39. 40.) videas Dübium ad c. 39. et 40. Dionis. Quamquam

enim, quoniam alii auctores nihil de ea re nobiscum communicarunt, non certo dicere possumus, Dionis verba de Antonio vera esse, tamen de Dionis veritate non dubitemus (Cic. ad famil. V, 5. et V, 6, 3 confer cum or. pro Sest. § 12.). C. 41—44. Catilinarios post Catilinam oppressum per praetores in diversis Italiæ terris suppressos esse, confirmat Orosius Presb. VI, 6; quem postea demonstrabimus e Livio hausisse. E quo sequitur, ut verisimillimum sit, Dionem hanc narrationem e Livio sumpsisse. L. Vettium indicem et accusatorem apparuisse, Sueton. quoque (in div. Jul. c. 17.) affirmat. De iudiciis in coniuratos factis videas Cic. pro Sull. § 6. 18. 83. et pro Plancio § 86. 100. Quod ad Caesaris impetus in senatus maiestatem factos pertinet, de quibus D. c. 42—44. loquitur, confer Suet. (div. Jul. c. 15. et 16.). De Caesare scriptor c. 44. iterum tam captiose et suspiciose dicit, ut Cicero auctor non fuisse videatur, sed alius fons, fortasse Livius. Itaque, ut repetam ea, quæ de fontibus ac fide Dionis dixi, demonstrasse mihi videor, Dionem Cicerone, Sallustio, Livio usum esse, maxime autem Cicerone et Livio, illo in parte priore, hoc in posteriore. De fide autem Dio non parvi existimandus est, cum materiam suam e fontibus fide dignis hauserit et collegerit, quamvis facere non possimus, quin concedamus, Dionem in nonnullis rebus errasse, non solum in iis, quas auctores eius falso tradiderunt, sed etiam in compluribus sua ipsius culpa.

Neque enim est negandum, Dionem ultra alios scriptores novas quasdem res prodidisse (confer senatus consulta propter coniurationem intra et extra urbem initam facta in c. 31; de Catilinæ efficacitate et actione in c. 32; de Antonii ad Catilinam opprimendum dimissi segnitie et inconstantia in c. 39.)

K. Eutropius.

De Eutropii breviario ab urbe condita (confer l. VI, c. 11.) tantum dicere possumus, brevem coniurationis Catilinariæ enarrationem nihil aliud esse nisi Livii epitomen; id quod ex eo apparet, quod Eutropii enarratio coniurationis non dissidet a Perioch. libr. 101. et 102. (confer Teuffel. § 390, $_2$.)

L. Paulus Orosius Presbyter.

Orosius in libro VI, c. 6. de coniuratione Catilinæ scripsit.

Quamquam paucis hanc enarrat, tamen aliquid novi profert, his verbis usus: „motus etiam in Pelignis ortus a Marcellis patre et filio per L. Vettium proditus, patefacta Catilinæ coniuratione, quasi succisa radice, compressus est et de utroque per Bibulum in Pelignis, per Ciceronem in Bruttiis vindicatum est.“ De motibus in terris Italiæ diversis per coniuratos factis Cassius Dio 37, 41. cum Orosio consentit, item de Vettii indiciis, quamvis Dio brevius (37, 41.) de hac re disserat; qua ex re intelligitur, Orosium quoque, cum, ut supra (p. 48) diximus, verisimile sit, Dionem, qui in c. 37—39. e Livio hausit, in capitibus etiam sequentibus e Livio hausisse, Livium secutum esse. Itaque non habemus, cur de veritatę huius relationis Orosii dubitemus (de Orosii fontibus confer Teuffel., R. L. § 426, p. 944. et § 426, $_4$. p. 946.). Ad Livium quoque id spectat, quod Orosius Livium imitans titulo „breviarii ab urbe condita“ utitur et quod Ciceronem quidem ac Sallustium VI, 6. citat, sed nihil ex utroque scriptore hausit.

Quoniam igitur de omnibus fontibus coniurationis Catilinariæ disseruimus, dicamus oportet, quibus fontibus maxime nisi historici recentiores coniurationis Catilinariæ historiam componere debeant. Omnium primus Cicero, fons uberrimus, quocum ceteros fontes non modo comparavimus, sed etiam ad quem illos inquisivimus atque examinavimus, ad historiam enarrandam adhiberi debet. Secundum Ciceronem maxima Plutarchi ratio erit habenda, tertius demum locus Sallustio concedi potest. Ceteri autem fontes, quamvis in singulis rebus vim quandam habeant, secundarii sunt nominandi.

Corrigenda.

Legas p. 1. pro „sed in paucis“ et in paucis tantum.
„ p. 15. pro „an S. recte“ an non S. recte.
„ p. 27. pro „Tertium Diodorus“ Tum Diodorus.
„ p. 32. pro „*τῆς πόλεας*“ *τῆς πόλεως*.
— p. 38. deleas „nominat“.
legas p. 44. pro „*ἐξεπιτηδές*“ *ἐξεπίτηδες*.
„ p. 48. pro „quasdem“ quasdam.